10769

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ὙΠΕΡΟΧΗ,

SIVE DE REGIS PRIMATV.

LIBELLUS.

In quo ſumma REGIS ſecundùm DEUM authoritas cùm in Civilibus tùm in Eccleſiaſticis, ſupra *& Populum & Clerum, breviter &* Methodicè probatur.

Authore D^no IOANNE WEMIO *de* Craigtoune SCOTO, *in ſupremo apud* SCOTOS *Con-ſeſſu* Juridico, Senatore, & in intimo REGIS Conſiſtorio, Conſiliario.

EDINBVRGI,
Excudebat THOMAS FINLASON, Auguſt. Regiæ Majeſt. Typographus. 1623.
Cum Privilegio.

R: Widdrington

A. VIRTVTE. ORTA. OCCIDVNT. RARIVS.

JLLUSTRISSIMO DOMINO AC PATrono

D. GEORGIO MARCHIONI

BUCKINGHAME, VICE-COMITI VILLIERS, BARONI WHEDDON, Maris Anglici *Præfecto, Regij Equitij Magiſtro,* Sanctioris in *Anglia* Senatus Conſultori, ac Ordinis Periſcelidis *Militi honoratiſsimo.*

Salutem.

SUMMUS *ille rerum Opifex* (HEROS *Nobiliſsime*) *qui ut inquit* Plato, ἁπλῶς ἀληθὴς ἐστιν οὐ κατὰ τιμὴν ἀλλὰ κατὰ φύσιν, ἐνταυστὶ *domum ſortitus, ſuper* Cherubin *&* Seraphin *ſedens, caligantem & modo non cæcutientem humani ingenij aciem ita ſupergreditur, ut licet* Simonides *ad ejus naturam inveſtigandam, dierum numerum ſubinde auxerit, in hoc*

Labyrintho ſive Ariadnes *filo diu errans, & in illa* Penelopes *tela retexenda multum ſed incaſſum ſudans, nullum ancipitis cogitationis exitum invenerit, ſed quanto cogitaverit impenſius, tanto affirmaverit cunctantius;* Deus *tamen ne homini ad ſui cogitationem velis equiſq; contendenti omnem ad ſe aditum quaſi objectis repagulis intercludere videretur, quaſdam veluti ſcalas prætendit quibus ad ipſius ſolium conſcendere, &* πρὸς θείαν ὑπέροχην *aliquatenus niti valeamus: Inter quas ſcalas, & veluti umbras ineffabilem* Dei *Majeſtatem nobis delineantes, Illi primas ſibi jure ſuo vendicant, quorum* Geniis θείᾳ σφράγιδι *obſignatis* Rerumpp. *gubernacula quaſi* Dei *& Naturæ ſuffragantis judicio commiſſa ſunt,* Reges *&* Monarchas *intelligo, quos vivas* Deorum *imagines eorumq; inſignibus conſpicuos eſſe antiquitas licet veri* Dei *ignara pie agnovit, mordicuſq; tenuit, Quod in animis noſtris quibus clarior lux affulſit, altiores debet agere radices, reliqua hominum familia & farrago, ut* Stoicis *placet, ſit* πηλὸς πεφυράμενος, *Reges autem in divini crem ſortem, ut ait* Seneca, *tranſcripti, cute & ſpecie tenus homines, reipſa boni genij cenſendi ſunt, in quos ut humanos* Ioves *divini honoris affines, pene & conſortes, oculos animoſq; noſtros defigi convenit: Regum longo licet intervallo veſtigia legunt, & proxime ſecundum eos hominibus maxi-*

me

me vtiles eſſe poſſunt, qui iis (*vt* Hercules Atlanti) *in cœlo aut ſolo hoc politico fulciendo ſubſidiariam & vicariam operam præſtant; Inter quos, Nobiliſſime* Heros, *tu coruſcas velut inter ignes* Luna *minores, quem in ſummo Auguſtioris gloriæ Solſtitio divina prorſus virgula conſtitutum nemo poteſt diffiteri, Nam, ut alia mittam, illa vultus animiq́ tui tranquillitate tam gravi modeſtia & modeſta gravitate temperata, tanquam* Veneris *ceſto omnium animos ſuffuraris; Videbor fortaſſe* λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ ἅπτειν, *cum de tuis laudibus, vt* Saluſtius *ait de* Carthagine, *ſilere ſatius eſſet quam parum dicere, Sed tamen ineptæ loquacitatis crimen ſubire, quam fœdæ ingratitudinis notam mihi inuri malim; Quam benigne enim me in primo congreſſu exceperis, quam ſerio* Regiæ Majeſtati *pro me ſupplicaveris, quam multis humanitatis officiis me proſequutus fueris, ipſe mihi teſtis ſum locupletiſſimus, nunquamq́ quoad lucis hujus uſura fruar animo excidere patiar, aut aliis prædicare deſiſtam, nihilq́ mihi magis in votis erit, quam iſtam tuam propenſam in me voluntatem honeſta aliqua ratione magis magiſq́ demereri:* Reliquum eſt, *vt tantæ humanitati auctarium aliquod addas & ſuperpondium, nempe vt contra hominum male feriatorum ſannas & calumnias, authoritatis tuæ præſidio ut* Palladis Aegide *munire, meq́ in hac opera*

 magis

magis quam opere, aliorum Spiritus magis concitatos vt in eodem pulvere deſudent promoventem, ſuaviuſcula nominis & numinis tui aura recreare ne graveris. DEUS *Amplitudinem tuam Eccleſiæ & Reipublicæ quam-diutiſſime ſervet incolumem.*

Tuæ Amplitudinis
Servus humilis

IO. WEMIUS.

25243

DE
REGIS PRIMATU.
DE REGIS OFFICIO.
Cap. I.
De Monarchiæ, vel regni excellentia.

PRO diverſis Rerumpp. formis diſtinguuntur, qui jus publicum habent, nam ut ait *Ariſtoteles* Lib 3. Politic. cap. 5. Αναγκη αναι κυριον η ένα, η ολιγȣς, η τȣς πολλȣς. In quibus ſpecie differentibus Rebuspp. contingit aliquandó eundem eſſe per Magiſtratus, ac Judices ſpecie convenientes gubernandi modum, ut & aliquando in Rebuspp. quibus eadem eſt eſſentialis imperii forma, adeòque ſpecie iiſdem, ſpecie differunt Magiſtratus, ac Judices; vbique tamen penes quos eſt imperii ſūma; tametſi ſpecie differant, ut unus, pauci, & omnes; Eorum idem ſpecie jus, ſeu eadem formaliter poteſtas, utpote ſumma, eſt. Priuſquam verò de Jure hoc ſummorum Imperantium, nec-non Magiſtratuum, Judicumque ſubordinatorum, qui vicariam ſummis Imperantibus præſtant operam, verba faciamus: Quæ ſit præſtantiſſima Reip. forma, paucis indicare libet, ubi omiſſis aliis, quæ adferri poſſint, argumentis ad con-

firmandam Monarchicæ præ cęteris eminentiam, Dicimus eam fuiſſe a Deo ipſâ naſcendi lege conſtitutam; Nemo enim primum Imperium negaverit fuiſſe Paternum, proinde Monarchicum, quod non pateretur jus naturæ, ut progenitori primo ſive ἀριστοκρατικῶς ſive δημοκρατικῶς imperarent aut tanquam Collegæ in Imperio adjungerentur progeniti: Quarè fuit initio regimen Monarchicum immediatè Divina ordinatio, non modo poteſtatis, ſed & formæ poteſtatis, & perſonæ poteſtatem habentis reſpectu, ſive ſcilicet ſpectetur ipſum jus regendi, forma regiminis, perſonavè Rectoris; ità ut primus Parens non modo ſimpliciter poteſtatem, ſed & Monarchicam poteſtatem & quá parens eſſet, immediatè a Deo habuerit: Prętereà & Progenitor ille primus omnium ex ſe progenitorum, in ſtatu etiam integro perſiſtentium Rector eſſe debuerit, ordinem non tollente integritate, neq; evertente Principis eminentiam, ſubditorum excellentiâ, quum *Adamo* ante peccatum ſubeſſet uxor *Eva*, & Angelica, quæ pura eſt natura Divino ſubjecta ſit Imperio; Quod arguit haud probandam eſſe eorum opinionem qui in odium civilis Dominii aiunt, ratione peccati introductum eſſe imperium, quod imperantis & ſubditorum probitas Auguſtum magis, & ſecurum reddit: Fatemur quidem non fuiſſe cum natura congenitum hunc principatum quoad vim coactivam actu, quòd coactio aliquam ſupponat ἀταξίαν, quam admittere nequiret Innocentiæ ſtatus; Verum quoad vim directivam principatum poſtulat naturæ humanæ conditio, cùm ſocialis vivendi modus ſine regendi poteſtate ne concipi queat; Ac tametſi, dum integri perſtarent homines in iis, quæ officii neceſſarii, ac Juris eſſent moralis, *Adami* non indiguiſſent directione,

rectione, quæ tamen indifferentia forent, a merâ arbitrii ipſorum libertate pendentia, mandantis *Adami* poteſtate definiri potuiſſent: Imò ex primævâ Dei conſtitutione, ex quo fuit *Adam* creatus, mundi fuerit necdum exiſtentibus poſteris Monarcha, Nam licet non fuerit regiminis politici actus ante communitatis congregationem, Tamen ex vi juris naturæ *Adæ* progenitori debitum fuit, vt ſuæ poſteritatis ſimulac in cõmunitatem congregaretur Rector foret, Adeòque ſi non actu, ſaltem habitu Rex ab ipſa creatione fuit, (neque enim vt ſubjectum, ita objectum opportet, poteſtate prius ſit) quemadmodum fuit Deus ab æterno Dominus non actu & quoad χρῆσιν ſed quo ad κτῆσιν, habens in ſe Dominium quaſi abſconditum, quod poſt creatum mundum excreret, Undè non eſt undequaque vera Monarchomachorum aſſertio, non eſſe ſine populo Regem, vt ſine Rege poteſt eſſe populus, dicentium; quùm & ex Geneſ. cap. 2. v. 19. pateat conſtitutum fuiſſe a Deo *Adamum* terræ poſſeſſorem, animantiumque Regem, antequam ei adeſſet auxilium ipſi ſimile, Sicut & a Diluvio dedit Deus *Noacho* ſummam in res omnes animatas, atquè inanimatas poteſtatem, Geneſ. 9. Deindè penes eos fuiſſe poteſtatem Monarchicam dicimus, qui magnas initio habuerunt familias, & in quibus habitarent iſtæ, oppida & urbes cõſtruxerunt, quos familiarum ejuſmodi Patres, aliorum ſubjugatorum, aut ſe ſponte ſubmittentium evaſiſſe dominos; Propterea populis tempore priores, & non electos fuiſſe, vt fabulantur Poëtæ, nonnullique imaginantur Politici, clarè teſtatur ſacra Geneſeos mundi hiſtoria: Poſteà, nemini ignotũ eſt gubernationem populi Jſraelitici prę cęteris omnibus Deo chari, divinitus inſtitutam fuiſſe Monarchicã

mittente primùm Deo *Moſen*, & Judices cum regio imperio aut potiùs (cùm Dei tantùm voluntatem patefactam vt plurimum exequerentur judices) Rege exiſtente Deo ipſo, tandem ad importunam populi poſtulationem, Solèniter per *Samuelem* reges conſtituente. Vereſimile autem eſt, noluiſſe Deum populo Iſraelitico ſui regendi ἀριστοκρατικῶς aut δημοκρατικῶς liberam facere poteſtatem, quò aliis præſtare regimen Monarchicum oſtenderet, non modo, quód divinum illud ipſius Dei, qui verè Monarcha eſt; ac Regum Rex repręſentet (eſt enim principis dominatus clara divinæ naturæ imago, ac regni cœleſtis inter incolas terræ imitatio, & exemplar, vti ad *Theodoſium* Cæſarem ſcripſit *Cyrillus Alexandrinus*,) ſed etiam quòd naturale videatur regendis cùm deſtitutis, tùm præditis ratione animalibus, vt enim naturæ impetu rectores ſibi proponunt *Apes* & *Grues*, Ita ejuſdem vi ductæ, Reges habuerunt univerſæ nationes Deuteron. 17.14. 1. Reg. 8. 5. Imò quód regiminis ſummi natura poſtulet, quà regimen eſt, ut digniſſimo, qui non niſi ſingularis, deferatur; ſicut & imperium defert ſemper Deus digniſſimo, ſaltem aptiſſimo, teſte, cùm *Irenæo*, cujus juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & Reges conſtitui, aiente, aptos illis qui in illo tempore ab his regantur. Lib. 3. cap. 14. Tùm *Origene*, Dari nobis Principes a Deo, aſſerente, tametſi quandoq; non ſecundum cor Dei, tamen ſecundum cor noſtrũ 1. Inquit ille, moribus noſtris aptos. lib. homil. 4. Et quà ſummum eſt, ne multiplicatione imperfectius ſit, virtus namq; unita perfectior eſt ſeipſâ deviſâ, & quia ſumma, vt beatitas, ità poteſtas Monarchiam includit; Etenim quæ diverſa ſunt & multa, non poſſunt Metaphyſicorum teſtimonio in unum reduci ordinẽ

niſi

Wemyss

niſi per unum ordinantem, quia unius unum eſt cauſa, & multa unius non ſunt cauſæ, niſi in quantum ſunt aliquo modo unum; Adeò vt non abſqué ratione dixiſſe videatur qui ſolum regimen Monarchicum a natura eſſe, &, vt ait *Auguſtinus* lib. 3. conf. cap. 8. Generale eſſe pactum ſocietatis humanæ, obedire Regibus, poſuit, in cęteris Ariſtocratico nimirum, & democratico homines a recto naturæ tramite deviaſſe, quòd ex multis capitibus conſtare unum, aut in uno corpore eſſe multa capita error naturę, monſtrum ſit.

Et certè qui imperii in mundo progreſſum conſiderârit; fateri cogetur, nunquam fuiſſe a Deo demandatum populo imperium, ſed aut exactis Regibus ab eo uſurpatum, aut iis deficientibus ad eum quadā neceſſitate devolutum, cujus favore & auxilio ad regnum ſæpius evecti ſunt, qui Tyrannicè rexerint. Itaq; concludimus, naturam, vt ità loquamur, naturatam ſecutos Judęos licet imprudente & ingrato contra naturantem, Deum, puta, qui ipſe extraordinario ſupra naturam privilegio iis præerat, animo regē poſtulaſſe, vt deteſtandum ſit *Capelli* dictum, non aliâ ratione ex mente Dei quā mala omnia, Inſtitutum fuiſſe in Iſraele regnum affirmantis: Sed ſi dicat hic aliquis regimen omne eſſe mutabile, nullum ideò naturale; Sciat non idem de proprietatibus, vt ità dicam moralibus, quæ veluti jura ſunt producta cum naturâ univerſâ, quod de Phyſicis, quas per emanationem producit particularis quæque natura, eſſe ſentiendum, Cum hominibus natum eſt, etiamſi haud neceſſe ſit cum hominibus ſemper eſſe imperium Monarchicum: Si & dicat hic aliquis ſupremam poteſtatem cuique communitatis corpori immediatè a Deo datam, ac jure divino naturale regimen in populo eſſe conſtitutum; Contra

ex Scripturâ nos dicimus *Saulem* & *Davidem* a Deo immediatè ad regendum deſignatos, immediatè ab eodem regiam accepiſſe poteſtatem, & iis a Deo electis & conſtitutis, ſoêni tantùm admiſſione ſe ſubmiſiſſe populum, ac ubi Deus nondum particulariter alicui rectivam communicavit poteſtatem, aſſerimus, non etiam ibi populum eſſe primum, vt loquuntur Logici, Subjectum, cui primariò inhæreat poteſtas rectiva, nec poteſtati rectivæ democraticæ ſubditum eſſe populum., niſi democraticam regiminis formam elegerit, ad quam ſic jure divino determinetur rectiva poteſtas; Alioqui ſequeretur Deum ſolius democratiæ (quæ deterrima regiminis forma) immediatum ubique eſſe inſtitutorem, Proindè nullibi licere populo ab illâ ad Ariſtocratiam aut Monarchiam recedere.

De Regis officio ac Jurisdictione.

Cap. II.

REGUM adeòquè ſummorum omnium imperantium Jus duplex eſt, unum quo juſtè regunt, aliud quo licet injuſtè, vel non omnino regant impunè tamen Reges manent, Nam etiamſi illud debeat ſuo populo Rex, tamen non poteſt populus illud a Rege exigere, qnòd in ſuâ cauſâ nemo Judex ſit; & Rege ſuperior nullus ſit, qui illius ſit Judex:

Jus illud ſeu officium. Deuter. 17. 14. deſcribitur, Jus iſtud ſeu immunitas 1. Samuel. 8. 11. edicitur. Illius duæ ſunt partes, Juris-dictio, & Protectio, quarum, illa Jus eſt in ſubditos, quo eos tam in bello, quam pace gubernat, ſummus imperans (neque

enim

enim a bellis exulat Juris-dictio) hęc eſt adverſus hoſtes jus, quo eorum injurias ſubditis illatas aut inferendas vindicat & repellit: Nam petens Regem populus Iſraeliticus a *Samuele*, Rex, ait; qui erit ſuper nos, jus dicet nobis, & pugnabit pro nobis: Jus iſtud protectionis miſſum faceremus, breviter tantum obſervantes, quòd per illud in totum quaſi orbem ſortiatur Rex quiſque forum, quia, vt fatentur Theologi, & demonſtrat repręſaliarum ſeu clarigationis jus, conſtitutus eſt aliquâ ratione Rex quiſque ſuper omnes alios tam Principes quàm privatos, ab his illatæ ſibi ſuiſvè injuriæ judex & vindex; Undè elicitur divinæ potentiæ, quæ univerſalis eſt, participes eſſe Reges: Niſi paucis agitanda occurreret hęc quęſtio, An diverſa Relligio juſta ſit vicinis belli inferendi cauſa? Plurimi, quòd Eccleſię, quę unicum eſt corpus, membra omnia cum aliis malè affectis, aut læſis compati debere, & Principi cuiquè imprimis a Deo demandatam eſſe Eccleſiæ curam arbitrentur, dicunt poſſe ideò, ac debere Principes Chriſtianos ſuos in Chriſto Fratres ſub aliorum Principum ditionibus relligionis Chriſtianæ cauſâ oppreſſos armatâ manu liberare; Sed quam deploranda indè ſequeretur ordinis a Deo conſtituti ſubverſio, & ampla aperiretur Tyrannidi feneſtra, facilè quivis conſideret; Quum unumquemque opporteat ſecundum Apoſtoli præceptum ſe intrà limites ſuæ vocationis continere, Principis autem cujusq; vocatio non extrà ſuam extendatur regionem, Qui in alterius regnum reformationis prætextu manu forti ingreditur, falcem ponendo in alienam Meſſem juriſ-dictionem ſibi minimè competentem Tyrannicè uſurpare videtur; Paria namque ſunt, ex Juriſ-conſultorum ſententiâ, punire innocentem,

& nocentem quem tu punire non debes, prȩſertim cum aſſeverent Eccleſiȩ patres Chriſti verbis *Petrum* gladio ferientem objurgantis, moneri Principes ne armis fidem promoveant, quæ ſuadenda non cogenda eſt, non exigente Deo quam in ſui tuitionem exigunt Principes corporalem in militiá ſubditorum opem: Non negamus tamen debere Regem quemq; vt eſt corporis Chriſti membrum, Eccleſiæ alibi afflictȩ miſeratione cõmotum, cùm ſuis ad Deum precibus tùm ad regem affligentem hortationibus illius liberationem quoad poſſit, procurare; & fortè prȩtereá, ſi ſuo hortatu effecerit Rex aliquis, vt polliceatur affligens liberam ſubditis optionem quam voluerint relligionem amplexandi, poſſe ab eo, regem affligentem promiſſa pro nihilo facientem, vi, ad eorundem obſervantiam adigi; Sicut inter Imperatores *Conſtantinum* & *Licinium*, nec-non in alio caſu ſimili inter *Conſtantem* & *Conſtantium* accediſſe referunt hiſtoriæ, nam ſic pactorum conventorum violatione inferuntur injuriæ, quas armis ulciſci jus habentibus licet.

Jurisdictio eſt jus publicum ſeu poteſtas in iis penes quos ſumma eſt Imperii Reip. ritè adminiſtrandȩ, Meminiſſe enim ſemper oportet primum juriſ-dictionis ſubjectum eſſe ſummum Imperantem, vt enim a Deo ſolo ſummus imperans, ſic a ſummo imperante authoritatem ſuam habent Magiſtratus ac Judices, alioqui vt ille ſummus non erit ſuperiorem præter Deum habens, Jtà hi ſummi erunt, ſolum Deum ſuperiorem habentes: Diverſimodè autem cõmunicatur hæc juriſ-dictionis authoritas: Quum enim in ſe complectatur imperium merum, mixtum, & Juriſ-dictionem ſtrictè acceptam, (In quibus diſtinguendis, non erimus cum Juriſ-conſultis curioſi, hic non intellecturi, imperium

rium ac juriſ-dictionem, ut intelligit juriſ-conſultorum pars maxima) Imperium quidem merum non in alio quam in imperante ſummo, ac Legis-latore ex arbitrio jubente eſſe poteſt, Mixtum autem imperium, & Juriſ-dictio aliis delegari poſſunt; Illud enim habent Magiſtratus, hanc Judices, illis directivam cum deciſivâ, his deciſivam tantùm habentibus adminiſtrationem, his inter litigantes ſecundum Leges, tantùm judicantibus, illis populo gubernando, etiam conſtitutiunculas legibus non adverſantes edentibus: Ut illius ſit jus dare qui habet imperium, & juriſ-dictionẽ habentis ſit jus tantùm dicere: ſed de his poſteà.

Juriſ-dictionis ergò poteſtatem exercent ſummi Imperantes partim per ſe, partim per miniſtros; per ſe, vt plurimum quandò aut non ſunt leges, ex quarum pręſcripto juriſ-dictionem exerceant miniſtri, aut poſtulat negotii natura, ipſorum imperantium interponi authoritatem; Et certè Regum aliorumve Imperantium non eſt, vel ipſum judicandi munus detrectare, quoniam vt Judicium faciant & Juſtitiam inſtituti ſunt teſte Reginâ *Sabâ* 3. Reg. 10. 9. Quã ob cauſam *Samuel* populum Iſraeliticum cunctis diebus vitæ ſuę judicavit, per ſingulos annos *Bethel*, *Galgatha*, & *Miſphat*, circumiens. 2. Reg, 7. 6. & 16. 7. Et *Moſes* omnia populi negotia per ſe terminavit ſolus, anteaquã inferiores de plebe provideret Judices, Exod. 18.

Verum quum ἀδύνατον ſit ipſoſmet Reges, aut penes quos ſummum eſt Imperium, ſingulis adeſſe ſeparatim ſubditis vt eorum definiant cauſas, prętérqnã quòd nequeant vt ait *Tacitus*, ſuâ ſcientiâ cuncta complecti, vt pote quorum mentes tantæ molis non ſint capaces: Et ad conſervationem majeſtatis Imperii conducat, non fieri frequentem nimis Regum convenien-

niendorum copiam, quòd, teſte *Livio*, continuus aſpectus minus verendos magnos homines ipſâ ſatietate faciat, & maieſtati maior ex longinquo ſit reverentia, quia omne ignotum pro magnifico eſt, vt inquit *Tacitus*, exemplo *Moſis* ſanum *Iethronis* conſiliū exequentis, operæ ſuæ vicariam miniſtrorum fidem ſupponere neceſſe habent Reges.

Juriſ-dictionem exercentes per ſe Reges, aut ſine aliorum conſilio, aut conſultis aliis, iis aſſidentibus eam exercent, Quòd enim per ſe ſolos iudicarint, etiam Judæorum, in Dei populo, Reges liquet ex 2. Reg. 15. 2. & 6. ubi dicitur, Omnem Virum qui habebat negotium, vt veniret ad Regis judicium, ab *Abſolone* vocatum fuiſſe, atq; *Abſolonem* omni Iſraeli venienti ad judicium, vt audiretur a Rege, extendiſſe manum, & oſculando corda omnium ſollicitaſſe Sed iſtud juriſ-dictiouis exercitium, quia rarum eſt, miſſum faciamus; Ac de Regibus per ſe cum conſilio adminiſtrantibus, deinde de regum in adminiſtratione vicariis agamus: Reges per ſe adminiſtrant regnum totum, cura enim Judicum ſigillatim ac magiſtratuum ſemper ferè partialis eſt, Hinc *Iuſtinianus* ad finem Proæmii Inſtitut. cupidam Legum juventutem alloquens, *Allacri* (inquit) *eas ſtudio accipite, & vos met-ipſos ſic eruditos oſtendite, vt ſpes vos pulcherrima foveat toto legittimo opere perfecto, poſſe etiam noſtrā Remp. aliquando in partibus vobis credendam gubernari*:

In tota Rep. curandâ, vt dictum eſt, conſiliis & auxiliis juvari non dedignantur Reges; conſilium in adminiſtratione, auxilium in adminiſtrationis onere petentes; Conferuntur autem conſilium & auxilium in regni Comitiis & Senatu: de quibus ideò aliquid dicendum erit.

DE

De Comitiis, ac Ordinum ſtatuum Regni conventu.

Cap. III.

VT Comitiorum intelligatur natura, eorum cauſas ſeu principia breviter conſiderabimus, Quod ad Efficientem Pluſquàm probabile eſt Regnorum Comitia non fuiſſe ipſis connata regnis, ac ſi abſquè Comitiis regna conſiſtere nequirent; Sic enim ſequeretur Primùm, quod dictu horrendum eſt, imperfectè fuiſſe inſtitutum ab ipſo Deo regnum Iſraeliticum, in cujus inſtitutione nulla Comitiorum tanquâm neceſſariò habendorum ſit mentio, Et ſi conſtitutum a Deo aſſerat quis Senatum ex 70. hominibus; Factum id dicimus poſt inſtitutionem regii in *Moſe* imperii, cui ne gravaretur ſolus, adjuncti ſunt illi Seniores, ad ſuſtentandum cùm illo populi onus, nequè iſtorum conſeſſum Comitia, Statuumvè repręſentaſſe conventum: Deindè quod putidum etiam videtur mendacium non fuiſſe apud nos in Scotia, regnum, ante *Finnani* Regis tempora, quem primum ſanxiſſe referunt Hiſtorici, vt ex Procerum conſilio, publica regni tractarentur negotia: Quum igitur ejuſmodi conventus non ſint regnis eſſentialiter annexi, ad ipſos reges referenda eſt eorum Origo, neq; enim dici poteſt, a populo Ordines fuiſſe Regibus vt Conſiliarios impoſitos, niſi populo in reges authoritatem tribuamus, atquè ità contrà regulas Logicas & politicas Monarchiam facientes Democratiam, ſpecies Rerumpp. confundamus: Regii etiam officii eſſe, regni Ordines convocare, demonſtrat facta immediatè a Deo ipſo iſtius poteſtatis tranſlatio in *Moſen*, Jus

Tubarum pro populi convocatione faciendarum habendarumq; a Deo accipientem, Num. 10. 1. & 2. Ut ſcilicet Tubarum, qui Tabularum cuſtos eſſet.

Hinc eſt quòd Ordines cujuſquè regni, Regis juſſu & eò Loci quem ille iis aſſignaverit, conveniant; Hic autem eſt apud nos Comitia convocandi modus Primum Edicto ſignificat Rex, quòd ſtato die interjecto, vt plurimum, 40. plus minus dierum curriculo, certo in loco nominato Comitia ſit habiturus, Indè per Literas ſigillatim ad Comitia evocat Eccleſiaſticos et Seculares Dominos, quibus per ſe ſuffragandi datur Jus, & ſcripta ſua ablegat ad ſingulos Provinciarum Vice-comites, vel ad Legatos ſeu Cõmiſſarios Provinciales, vt in Vice-comitum curiis, aut Provincialium conventibus Regiâ authoritate approbatis nova fiat Legatorum ad Comitia mittendorum electio, Parl. 7. Jacob. 1. c. 101. Et Parl. 11. Jacob. 6. c. 113. Qui omnes cùm die a Rege conſtituto, in loco deſignato comparuerint, Regem a ſuo Palatio Equis phaleratis trabeati, inſidentes, ad domum Parliamentalem tapetibus ſplendidè obductam, prælatis Imperii inſignibus magnâ cum ſolènitate comitantur, Ac tùm in Tabulas referuntur præſentium modo prędicto comitantium nomina, vt in contumaciter abſentes pecuniaria decernatur mulcta, parliam. 11. Jac 6. c. 134. Undè ſuperiorem eſſe Statibus Regem cujus imperio aggregantur, quemquè aggregati ſolèniter honorant, perſpicuum eſt.

Materialis Comitiorum cauſa ſubjectiva, 1. qui conveniunt ſunt Regis ſubditi & vaſalli, ad regẽ præcipientem in conſilium coeuntes, quorum, negabit, opinor, nemo Regem eſſe Dominum, omnium

qua

quà regni incolæ, quorundam inſuper, quà feudorum poſſeſſores ſunt; Conveniunt ergo non Imperii conſortes, ſed imperio ſubjecti, Neque dicat quis ſingulos rege inferiores, ſed univerſos eſſe ſuperiores, poſſet quidem, qui ſingulis fortè aliquibus eſt ſuperior, omnibus ſimul junctis inferior eſſe, ſummus, exempli gratiâ, ſub populo in Rep. Democraticâ Magiſtratus, Sed qui ſingulis tanquam ſubditis & vaſallis ſuperior eſt, is, & ſimul junctis omnibus inferior eſſe non poteſt; Eſt enim contrà Feudorum naturam aut ſingulos ſeparatim, aut ſimul univerſos vaſallos poſſe feudorum Domino imperare cuius homines ſunt, cui que ſervire aſtringuntur: Et Patre ſuperiores eſſe filios (cuiuſmodi eſt inter regem & ſubditos relatio) quis dixerit? Ex ſacrâ etiam liquet paginâ ſupra populum univerſum conſtitutos eſſe reges, Nam & a *Pharaone* conſtitutus fuit *Ioſephus* ſuper univerſam terram Ægypti δυνάστης, Geneſ. 41. Nemo verò plus juris in alium trans-ferre poteſt quam ipſe habet: Itidem, *Moſes* Iſraelem, populum ſcilicet univerſum alloquens Regem poſteà conſtituendum, Si quæ ab eo obſervanda præcipiuntur, obſervaret, prædicit longo tempore ipſum, ejuſque filios ſuper Iſraelem, non ſingulos modo Iſraelitas, eſſe regnaturos: Deuter. 17.

Ad hæc de *Davide*, *Salomone*, & omnibus ferè regibus Iſraeliticis dicitur, ſuper omnem Iſraelem eos regnaſſe. 1. paralyp. 29. 26. & 2. paralyp. 9. 30. Nullibi reperitur dictum, ſub Iſraele eos rexiſſe: Et *David* pſalmo 144 Deum vocat protectorem, inq; ipſo ſe ait ſperare, qui ſub ſe populum ſuum ſubdit.

Quarè in regni cuiuſque Comitiis videre eſt, Ordines totum repræſentantes populum regiam ſuſpicere majeſtatem, humileſq ac ſupplices adeſſe, vt in Iſraele

ſolemniter congregatus Dei populus univerſus cum Rex crearetur *Salomon*, coram rege *Davide* ſeſe inclinavit, regemquè adoravit, vt dicit Scriptura 1. paralypom. 29. 20. Apud nos etiam regni Ordines qui Tres appellantur Regis regniquè Status, dum a rege petunt quod vel maximè regii eſt officii, ſua nimirum Statuta executioni mandet, ad id præſtandum humillimè regiam adhortantur Majeſtatem. parlia. 14. Jacob. 2. c. ult. Et ità agnoſcunt regis ſuper-eminentiam regni Status, &, vt, etiam Reginæ juramentum ſolemniter præſtent, literaſq́, quas vocant retinentiæ & fidelitatis dare promittant, parl. 12. Jac. 1. c. ult. Si dicatur, ſupremam Reip. Judaicæ poteſtatem penes Synedrium, vel ut volunt Papiſtæ, penes Pontificem fuiſſe: Concedimus dum, non inſtituto rege, Judæis præeſſet ut Rex ipſe Deus, ad Pontificis verbum quẽ de judicio URIM coram JEHOVA conſuleret Judex, ingredi & egredi debuiſſe judicem, Nam ſingulari hoc privilegio dignatus eſt Deus gentem Iſraeliticam vt in publicis negotiis eam extraordinariè vt plurimum dirigeret; Sed Judicem habuiſſe in Sacerdotem imperium, non contrà, oſtendunt *Ioſua* aliorumq; judicum actiones, Et ex quò creati ſunt Reges, deſinente item Deo, per Sacerdotem ſic voluntatem ſuã patefacere, abſolutam habuiſſe regis authoritatem ex ipſorum factis manifeſtum eſt, Quodquè ad 70. Seniores, cùm judicibus tùm regibus vt conſiliarios aſſediſſe eos probatu facile eſt.

Comitiorum FORMA (quæ & genus, quoniam accidentium genera loco formarum ſunt) eſt conventus, iſquè quorundam ex unoquoque regni Statu ſelectorum, quum enim reges totum populum (cui cõ-

ſenti

25243

ſentienti imperare cupiunt, quia firmiſſimum id imperium quo obedientes gaudent) in publicis regnorum negotiis adminiſtrandis convocare nequirent, Prudenter iis viſum eſt, per quoſdam ex ſingulis regnorum ſtatibus, ſupplendam eſſe totius populi vicem vt ità totus populus, ſi non coagmentativè vt vulgo dicitur, ſaltem repręſentativè præſens regiam approbaret voluntatem: Hujus Ordinum conventus formã in moderaione, conſultatione, & definitione, particulariter conſiderabimus; Conventum, hunc moderari nemo eſt qui dubitet, Jus Regis eſſe, ejuſquè ſi abſit Legati, quis enim neſcit ex quò convenerint Ordines, collocato Rege in ſolio, ad latus dextrum præſules, ad ſiniſtrum Proceres, & demiſſiore ſub ſe loco Cancellarium, adq; pedes inter Præſulum Procerumquè Ordinem, ſuos quos vocant regni ſeu Status Officiarios habente, poſt concionem habitam peractamq; rem divinam, Statibus congregatis cauſas propter quas ad Comitia vocati fuerint exponere Regem ſaltem regis oratorem et interpretem Cancellarium, cujus finitâ oratione jubentis ut petitiones ſuas ſinguli producant, Eliguntur ex unoquoq; Statu nonnulli qui vocati Articulorum Domini ad celeriorem rerũ expeditionem, cùm Statuum, tùm Regis ipſius petiones ſeu Articulos, Rege præſidente prius exagitant quàm publicè in auditorio, pleniſquè in Comitiis ab eodem Rege præſidente Legibus definiendæ proponantur. Quod ad Conſultationem, Ea omnium eſt ad Comitia vocatorum, inq; iis comparentium, qui apud nos dividuntur in Clericos, Nobiles, & Cives. Cleri nomine Epiſcopi, Abbates, & Priores; Nobilitatis, Comites, Barones, omneſq; vt vocantur, Liberè-tenentes qui de Rege in capite tenerent, & Plebis,

Civitatum Legati ſeu cōmiſſarii Antiquitus comparuerunt, vt indicant inſcriptiones Parliamētorum, 61. 71. & 81. Jac. 1. Et Parliamenti 1. Jac. 2. 5. & parlia. 1. Jac. 5. Ità vt populi nomine compareant immediti regis in unoquoque Statu vaſalli, (imo interdum & mediati, Nam a regibus concedi notum eſt Oppidis quibuſdam non immediatè Regiis, libertatem ac privilegium Vocis in Conciliis regni generalibus conſultivæ) Prælati omnes & Nobiles per ſe, ac Cives ſeu Burgenſes per Legatos, Parl. 3. Jac. 1. c. 52. Licet poſteà Statutum fuerit non cogendos eſſe liberè Tenentes & Barones minores, ut generalibus Regni Conciliis per ſe intereſſent, Parl. 7. Iac. 1. c. 101. Niſi fortè tanti reditus Feuda a Rege donata poſſiderent. Parl. 14 Iac. 2. c. 76. & parl. 6. Iac. 4. c. 78. Obſervandum autem quandò adeſſe non poſſint aliqui ex Prælatis, & Nobilibus juſtis de cauſis impediti, poſſe eos de præſentibus ſibi procuratores aſcribere, qui, vt apud *Anglos*, pro ſe priùs ſinguli, deinde pro illis quorum ſubeunt vices ſuffragentur, vt omnes per ſe, vel per proxenetas ſuos adeſſe intelligantur. Parl. 3. Iac. 1. c. 52.

Sed hic quæri poteſt, PRIMO, Utrum Ordinum, proinde populi, vox, conſultiua modò non definitiva ſit? ad quod, dicimus, Nunc ferè ubiq; in more poſitum, vt in regni Comitiis non modò deliberativam ſed & deciſivam habeant vocem illius Ordines, Quamquidem conſuetudinem ſolemniter ſemel receptam, conſtanterq; obſervatam, temerè a Rege abrogandam non eſſe, arbitramur, nequè enim abſq; ſeditioſâ populi qui tenax eſt Privilegiorum retentor, cōmotione Regis regniq; perniciem procuraturâ facilè fieri poſſet. Et ego, tantùm abeſt generalis Regni Ordinum apud

nos

Nos Concilii authoritatem, jam longâ Regibus volentibus conſuetudine confirmatam, nunc ullo modo in dubium vocare coner, vt contrà placito ſecundo parliam[ti] 8. Iacobi 6. audax illud facinus, tanquam perduellionis crimen eſſe puniendum decernenti, humillimo, prout ſubditum decet, animo aſſentiar.

Verum has tam conſulentis quam definientis partes præſertim in legum-latione, quæ propria eſt ſupremi Imperatoris actio, ex regis beneficio, populo competere exiſtimamus, alioqui ſi ex ſe primitùs definiendi haberet poteſtatem populus, Rex nomine tenus rex, reverâ Princeps tantum aut præſes eſſet populi, Ideòq; in Statuum cœtu, non tam judicantibus quam aſſiſtentibus ipſis imperium exercet Rex, quandoquidem præſente juriſ-dictionis fonte, evaneſcat omnis aliorum juriſ-dictio derivata, vt fluviorum perditur nomen & poteſtas cum in Mare deſcenderint; Neq; verò putandum eſt, quia ſolet Rex, ex modeſtâ & prudente ſuarum virium diffidentiâ, non niſi de Ordinum conſenſu Leges ferre, abſolutam ideò ei imponi ejuſq; Succeſſoribus neceſſitatem, illorum obtinendi conſenſus, ac ſi nullo modo iis liceret per ſe ſine eorundem ſuffragiis bonas ædere conſtitutiones, (quibus quâ, quæſo, conſcientiâ, non parebunt,) cùm Regibus ſolis vt pote quibus ſummum dederit Deus imperium, reddenda ſit Deo publicæ adminiſtrationis ratio, Adeò ut regula illa Juris Quod omnes tangit ab omnibus approbari debet ſic intelligenda ſit, ut, quòd omnium intereſt tanquam ſubjectorum, non quod ad omnes ſpectat tanquam objecta omnium conſenſu firmari oporteat, ut licet non de jure omnium, bona exigendo, tamen de jure in omnes Leges ferendo ſine omnium conſenſu ſtatui

poſſit, Alioqui nec ſine populi approbatione conſtitui poſſent Magiſtratus & Judices: Sed, quid ſi lege ſtatuat adhibito quoquè Juriſ-jurandi ſacramento, vel in ſuâ inauguratione promittat Rex, ſe leges non laturum abſq; populi, Ordinumquè non modo conſilio ſed etiam conſenſu ac determinante ſententiâ? Siquidem non fuerit hęc in primâ regni conſtitutione con ditio, et imperio ſic coæva & fundamẽtalis regni Lex non ſit,(quò caſu dicerẽ, non propriè eſſe regnum, ſed Ariſtocratiam aut Democratiam) ſed, poſt regni conſtitutionem pactum tantũmodo ſit Regis alicuius voluntarium, Etiamſi forſan pollicentem ipſum obliget, quoniam præſtanda eſt fides data, ne ſine fide, licet non ſine jure regnet, Succeſſores tamen in Regno quomodo conſtringet vix intelligimus: Præterea quũ jus hoc, ſit populo ex ſpontaneâ Regis pactione acquiſitum, & Privilegium, cuius honore Civium etiam quemvis dignari poteſt Rex, Populus ejuſq; Ordines quà tales illud non habent eoq; in caſu non minuitur in ſe regium jus, ſed reſtringitur in paciſcente juris regii uſus, etiamſi inhoneſta quoq; ſit, vt ait quidam, & illegittima omnis ea pactio, quæ inter Patrem & Filium, Maritum & Uxorem, Dominum & Servum, Regem & Subditum celebratur, quod dicto oporteat audientes hos eſſe, non paciſci, Atq; itá manet firmum iſtud, Quod, qui re verâ Rex eſt populum per Ordines convocans eum tanquam Conſiliarium, non vt Collegam, nedum ut ſuperiorem Judicem advocet Et in Monarchiâ, Regis ſola voluntas de ſubſtantiâ legis ſit, prævíaq; cum populo conſultatio, tametſi utilis imo utiliſſima ſit, ut ſic errandi periculo & ſcandalo obviam eat Princeps, neceſſaria non ſit, quum dictet jus naturale ob id ſolum requiri conſultationẽ illam

illam, ne ſuam præcipitando ſententiam Princeps, injuſtam inutilemq; populo ferat Legem: Ut proinde ſi contingat inconſultis aliis attingere principem in lege ferendâ Juſtitiam publicamquè utilitatem, obeſſe non poſſit illius efficaciæ præcedentis conſultationis omiſſio: Itaquè cum Imperatore *Iuſtiniano* dicendum videtur exploſis rediculoſis ambiguitatibus, verum conditorem & interpretem Legum eſſe ſolum Principem. l. ult. Cod. de Legib. Et legem Legiſlatoris, non conſiliarii eſſe, non ex vi conſenſus & conſilii habiti, ſed ex regiâ Legiſlatoris vi obligantem: Nequè verò negamus in Tributorum exactione populo ea concedenti, aliquantò magis eſſe cedendum, nam vt, ait *Themiſtocles*, in hoc caſu implorare melius eſt quã imperare, Equidẽ affirmamus, non modo ad negotia Reip. peragenda, & ad neceſſaria ſplendidæ Regis vitæ ſuppeditanda, ſed etiam in ſignum ſuperioris dominii exhibenda eſſe regi a ſuis ſubditis Tributa, (atq; hæc ratio eſt, quá Regi auxilium conferunt ſubditi in adminiſtrationis onere, & remuneratio eſt continuæ illius ſollicitudinis quam pro ſubditis ſubit Rex,) Sed debere, aut jure poſſe Regem, quot & quanta velit & ſine legittimâ cauſâ ab invitis extorquere ſubditis, negant, non adulatores, ſed veri regis amici: Omnia fatemur, quæ in regno ſunt, regis eſſe quâ Rex, id eſt quá paternus eſt regni dominus, adeoq; prout poſtulat ipſius, quá rex eſt, aut publica regni conditio, de ſingulorum bonis poſſe regem diſponere, præſertim ubi omnes in regno terræ, in Feuda conceſſæ fuerint a rege aliquod penes ſe dominium retinente, Nam ſciendum eſt, regibus nunc hæreditariis non modo dominium terrarum in ſuis regnis, ſed & proprietatem aliquo modo competere, vt privilegium habuerit

rit populus Iſraeliticus immediatus Dei vaſallus quo nunc non fruuntur regum ſubditi mediati tantum Dei ſeu potius immediati,Regum, non niſi precariò Dei reſpectu regna poſſidentium Vaſalli; Sed debere regem Hirudinis modo ſubditorum ſanguinem ſugere inficiamus, ſupraquè aut ſuæ aut regni dignitatis neceſſitatem ſubditorum patimonia immoderatis impoſitionibus deverare, Lege namquè Dei & jure gentium quum ſervanda ſit fides ſemel a rege data, nſi adſit cuiuſmodi dicta eſt cauſa, revocari non poſſunt quę Rex donavit, quo nihilo-minus in caſu, licet iniquum ſit regis mandatum tributis gravioribus populum onerantis, iure ei paret populus, nihil contra officium, quòd Deo debet & proximis, faciens: Namquè eſt iuſta aliquando & neceſſaria obedientia, mandati maximè iniuſti & tyrannici, & diſtinguendum ſemper eſt, inter mandatum quo malum ſcilicet culpæ fieri, & illud quo malum putá penæ, tolerari iubetur: Illud, & mandantis & illius cui mandatum fit ratione, obedientis, iniuſtum eſt, huic, licet mandantis reſpectu iniuſto, juſtè obedit cui datur mandatum. Ac profectò qui, invitum populum huiuſmodi oneribus vexare regi ſuadent, Regis, regnique ſecuritati peſſimè conſulunt, Nam, vt eſt dictum proverbiale, *Populo vitam eripit qui Pecuniam.* Et, vt ait Sapiens, *Qui nimis emungit elicit ſanguinem.* Verùm ne vitæ quidem ſubditorum parcendum, quando ſuſtentari nequit Princeps, Nam, quemadmodum confitetur *Leſſius*, Poſito quod Principi ob vitæ periculum ſibi fugâ çonſulenti aut in abditis latitanti famularetur ex ſubditorum numero aliquis, utroquè in extremis laborante, ſi non ſupereſſet panis niſi ad vitam unius, teneri videretur ſubditus ſeipſum fame perimere, vt principem ſalvaret,

ret; id exigente juſtitiâ, ſecundum quàm, quia principis ſunt prius omnia quam ſubditorum. (eſt enim regnum, non, ut ſomniant nonnulli nudæ functionis, ſed hæreditatis nomen) Principi, vt ſua primò tribuenda ſunt: Quare urgente principis neceſſitate, ad ſui neglectam obligantur ſubditi, eòquè magis quòd a ſacra Principis perſonâ dependeat publici boni conſervatio; própter quam, ſingulis adempta eſt adverſus Principem, quæ naturalis dicitur juris defenſio, ſeu iniuriæ depulſio.

Deindè quæri poteſt, An apud nos, Barones omnes ac liberè-Tenentes, quemadmodum in Comitiis comparere debuerunt, Ità comparentes jus ſuffragii habuerint? Communis eſt opinio, vt Clericos a Prælatis, & Cives ab Urbium Commiſſariis, Ità Nobiles a majoribus quos vocant Baronibus perfectè repræſentari, Adeòquè ad Parliamenta vocatos fuiſſe minores Barones, reliquoſq; liberè-Tenentes, non quod abſq; illis imperfectus eſſet Statuum regni conventus, Sed ut ſuâ in ſupremâ Regis Curiâ apparitione, Regis Dominium ſolemniter recognoſcerent, Sicut in inferiorum Dominorum ſeu Seniorum curiis, ipſorum vaſalli, ſectas, vt vocant, & præſentiam debent; Quum verò communis hæc ſit cauſa, omnium qui ad Parliamenta veniunt apparitionis, Vero eſt ſimile obtinuiſſe etiam Barones minores ac Liberè-tenentes in Comitiis ſuffragium, Nam in Parl. 7. Jac. 1. c. 101. Tantũmodo Statutum eſt, non neceſſe eſſe vt ad parliamenta accedãt minores Barones & Liberè-tenentes modò ex ſingulis Provinciis, duo pluresvè homines prudentes in provincialium conuentibus, ſeu Vicecomitum Curiis delecti, ad parliamenta emittantur, vnum aliquem Virum electuri expertum, qui parlia-

menti dictus provincialis Proloquutor, (vt Comitiorum Rogator apud *Anglos* dicitur, quem in conclavi inferiore eligunt Equites ac Municipes parliamentarii) omnium provincialium cauſas in parliamentis proponat; Ibidem quoq; dicitur procuratores hoſce ſeu Legatos, plenam habituros a reliquis provincialibus poteſtatem audiendi, tractandi, & determinãdi cauſas omnes in parliamento proponendas: Quæ verba mihi videntur innuere, non de novo, conceſſum fuiſſe Provincialibus Baronibus & Liberè-tenentibus ſuffragii jus, Sed iis modo vellent, permiſſum, inſtitutumque novum hunc per Legatos ſuffragandi modum, quo labore & expenſis levandi eſſent, Quam autem non haberent provinciales, eam procuratoribus commitere poteſtatem quis diceret? Ideò in parliamento 14. Jac. 3. c. 112. diſertis dicitur verbis, relatum fuiſſe in corpus Regii patrimonii Marchiæ comitatum, ex conſilio & conſenſu omnium & ſingulorum Prælatorum, Baronum, Commiſſariorum Burgo rum, & Liberè-tenentium, & Chartę relationis ſeu annexationis appenſa fuiſſe cum magno Sigillo Regio, Venerabilium & Reverendorum in Chriſto Patrum, Epiſcoporum, Abbatum, & Priorum, Comitum, Dominorum, Baronum, Liberè-tenentium, & Comiſſariorum Burgorum Sigilla, Et in parliamento 12°. Jac. 1. c. ultimo, dicitur, quod *Omnes Domini de Parliamento tam Eccleſiaſtici, quam Seculares, ac etiam Burgorum commiſſarij, promiſerint dare literas ſuas retinentiæ & fidelitatis Dominæ Reginæ.* Ex quibus verbis elici poteſt, præter Dominos, quos vocant parliamenti, interfuiſſe etiam Barones, & præter hos, Liberè quoq; tenentes, ſuffragii Jus habentes, qui certè ad inſtar Burgenſiũ, in parliamento comparentium appellati fuiſſent, Baronum

ronum & Liberè-tenentium Commiſſarii, Si comparentes non niſi vt procuratores ſuffragium habuiſſent; Ad hæc, habuiſſe ipſos non modo eorum Commiſſarios, vocem in Conciliis regni generalibus definitivam, perſpicuum quoq; videtur ex parliamento 1°. Jac. 2. c. 2. In quo dicitur, Omnes Tres Regni Status, in parliamento conſidentes, id eſt, (vt ſunt verba legis) Clericos, Barones, & Urbium cōmiſſarios, alienationes omnes ſine Statuum conſenſu a Jacobo pri^mo^ factas revocaſſe. Utut ſit, Quandoquidem plurimæ in provinciis cauſæ, quas verè cognoſcere Regem oportet, ſi benè regere velit, a provincialibus certiſſimè poſſint exponi, Et ab eorum plurimis non minore, quam majores Domini, pollentibus prudentiá, Regi regnum reformaturo, media ac remedia non minus dextrè excogitari, Atq; ab iiſdem propter numerum potentioribus Rex in urgentibus ipſius & Regni negotiis ſubſidia petens, facilius juvari poſſit: Tutô licet affirmare, jure in Comitiis obtinere ſufiragia Provinciales Barones, & Liberè-tenentes, ſi non per ſe ſaltem per Delegatos, quibus idcirco Prudentiſſimus Rex noſter Jacob. *6.* parl. 11°. c. 113. Id juris non tam conceſſit quam poſtliminiò revocavit: Hos autem vt & Civium delegatos, non ità abſolutè a provincialium, Civiumq; delectu pendere volumus, vt non poſſit Rex, quos ille maximè idoneos ſenſerit, eligendos nominare, præſertim quandò pro Legibus ferendis, iiſque quæ adminiſtrationis ſunt publicæ ſtatuendis indicitur Statuum conventus, in quibus liberum denegare Regi arbitrium, quos æſtimârit Prudentiſſimos quibuſcum deliberet, ſibi in conſilium aſciſcendi, eſſet ex Rege non Regem eum facere, Statuum voluntati, ad Regiæ depreſſionem eminentiæ, nimis ſubjectum.

Quando verò fiunt Comitia pro exigendis a populo tributis aut vectigalibus, & id genus oneribus populo imponendis, Regi prodeſſe ducimus, ad conciliandos ſubditorum Provincialium ac Civium animos quos illi motu, vt loquuntur, proprio & ſponte miſerint admittere, ne populi conſenſum, ſine quò per libera ædito ſuffragia non gravant populum ſuum Reges boni & prudentes, extorquere videatur.

Ex dictis emergit, Regis primariò & propriè eſſe, Jus definitivæ in Comitiis ſententiæ, Ille propterea ultimo conſeſſus die, poſt præviam Articulorum examinationem privatam, declaratâ publicè omnium congregatorum conſentiente aut diſſentiente ad eos reſponſione, Ipſe, ejuſquè locum tenens, quæ ſibi viſum fuerit Statuere, authoritate Regiâ in univerſo populi cœtu per ſceptri appoſitionem confirmat, ſine quâ confirmatione, quòd ab ordinibus factum eſt irritum eſt nec legis habet vigorem, negativam, vt loquuntur, habente vocem Rege, Qui exinde a cænaculo Parliamenti ad ſuum Palatium frequenti, vt primo die, Statuum comitatu ſtipatus ſolemniter progreditur: Ex quâ formâ præſcriptâ videre eſt ſuperiorem eſſe Statibus Regem, Eos aggregantem, aggregatis moderantem, ſupplicantibus pro libitu annuentem, conſulentium ſententiis vim impertientem, Tandemquè eos ſicuti convocaverit, pro arbitrio dimittentem.

Finis Comitiorum, ſeu cauſa propter quam inſtitutus eſt & indictus Ordinum conventus, Ut conſtitutionibus Regiis ferendis libentius pareat populus, judicio ſuo eaſdem approbans (Nemo enim exequi recuſat cujus ipſe particeps & author conſilii fuit,) indicen

indicendaquè a Rege onera patientius tolleret conſenſu ſuo ipſimet quodammodò ea imponens (Namquè volenti non fit injuria & non fraudatur qui ſcit & conſentit) & potiſſimum, vt ſanante ex populi conſilio Rege expoſitos ſibi a populo Regni morbos, populi augeatur erga Regem amor, regniq; ſtabiliatur honos Etenim difficile admodum eſt, in regnis, aut ſeditionis ortum antevertere, aut ortam ſeditionem ſedare, niſi pateat iſte populo quaſi univerſo ad Regem ſuum aditus, quo cum populo paterna Regis voluntas innoteſcat, tùm Regi juſtæ populi quærelę cõmunicentur: Ergo in Comitiis feruntur Leges, & imponuntur Tributa, non alia, vt plurimum negotia, materia ſunt Comitiorum objectiva, Nam quæ minoris ſunt momenti licet in Comitiis aliquando peragi ſoleant, tamen a Rege in ſuo Senatu Curiiſq; juridicis cõmodius expediri poſſunt, Ut enim docet doctiſſimus *Thomas Smithus* lib. 2. c. 2. de Rep. Ang. Quum Rerumpp. omnium commune ſit, quumq; potiſſimum in rebus, vel ſibi ipſis conveniant, vel cum aliis comparatæ diſſideant, In Legibus nimirũ ſanciendis, in bello gerẽdo aut fœderibus cum hoſte feriendis, in cenſu publico procurando; in Magiſtratibus creandis, & deniquè in Juſtitiâ adminiſtrandâ; Primum, Tertiumq; a Rege in parliamento, Secundum & Quartum, ab ejus abſolutâ authoritate fiunt, niſi fortè Senatus conſilio uti ei placeat, Quod ad Quintum, vt ait idem *Smith*ᵘˢ dicto libro. c. 7. Auguſta patrum Municipumq; corona, cùm multis gravibuſq; Regni negotiis avocetur, Privatorum litibus & controverſiis haud libenter vacat, Imo ſicut illa populi per Ordines conventio, ſuos ad Regem eos convocantem quærelas humiliter deferentis, paratoſq; ad Regi obſequendum, ſubveniendumq;

animos ac manus profitentis maximum eſt Regiæ eminentiæ, ac Majeſtatis Imperialis argumentum, Ità Thronum eum Regis populo univerſo jus dantis, tribunal fieri ordinarium contendenti cuiquè jus dicentis, cùm illuſtri illius Curiæ ſupremæ ac Concilii generalis gloriâ, neutiquam convenire videtur.

Nunc ex omnibus quæ de Comitiis dicta ſunt hęc inferri poteſt eorum definitio, *Ut Comitia ſint conventus quorundam ex omnibus Regni Ordinibus ſelectorũ a Rege inſtitutus & indictus, Ut Regi Leges ad Populi ſalutem ferenti, & pecunias ad Regis Majeſtatem Regniq́ incolumitatem exigenti conſilium & aſſenſum præbeant, & quæcunq́ ex eorum relatione ſciverit Rex reformationẽ deſiderare, ad vitandam ſeditionem, bonumq́ Regni procurandum communi applauſu corrigat.*

De Legibus, & earum Obligatione.

Cap. IIII.

SEquitur de Senatu ſeu Conſilio Regis dicendum, Sed quia dictum eſt, in Comitiis ferri Leges, Pauca de legibus dicere, eſt nobis propoſitũ, eòq; magis quod legum-latio, præcipuum ſit ſupremæ dominationis ac Majeſtatis caput; Anteaquam verò earum aggrediamur explicationem a cauſarum conſideratione petendam, operæ erit pretium, de Lege in genere tractentur breviter hæc Tria, Quid ſit, quotuplex, & quo modo obliget. Quod ad primum, Lex in genere ita poteſt deſcribi ESSE NIMIRUM ID, QUO REGULANTUR CUIUSQ; AGENTIS ACTUS. Id eſt, Secundum quod ordinati debito correſpondent Fini,

adque

adquè eum conſequendum idonei fiunt, Operantur namquè agentia alicujus rei gratiâ non niſi aptis acquirendæ mediis quæ ad illum finem ordinat Lex, Et quia omnia agentia tendunt in aliquem finem, cujuſq agentis operum ordinatrix eſt lex aliqua; Quòd ergo ad ſecundum ſpectat, Lex alia dicitur Æterna, alia Participata: Æterna eſt ratio illa ſeu λογος, quo, vt ait *Mercurius Triſmegiſtus*, τον παντα κοσμον εποιησεν ὁ δημιουργος, & vt loquitur Chriſtus Ioan. 5. 17. ἑως αρτι εργαζεται nimirum βουλη quá ex ĩmutabili ipſius voluntate Deus Creator ſtatuit externas omnes ſuas operationes & liberas dirigere (nam internas ac neceſſarias, Generationem, puta Filii, & Spiritus Proceſſionem, tutius eſt admirari quam de iis quicquam loqui) Undè ait Apoſtolus Epheſ. 1. 11. Deum τα παντα ενεργειν κατα την βουλην του θεληματος αυτου. Lex vocatur participata, quâ creaturæ omnes Legi illi æternæ, ac divinæ providentiæ ſubjacentes in ſuis actibus diriguntur, Ea vel a Deo vel ab homine fertur, Quæ a Deo, vel immaterialibus ac ſpiritualibus creaturis, vel materialibus & corporeis, corporeis deinde vel cœleſtibus vel ſublunaribus, ſublunaribus item aut inanimatis aut animatis, animatis porrò vel irrationalibus vel rationalibus fertur, Quæ denique rationalibus ſcilicet hominibus fertur a Deo Lex, aut eſt naturalis rationis, aut ſupernaturalis revelationis, Quæ ab homine fertur & humana ſolet vocari, vel ſæcularis eſt vel Eccleſiaſtica; De quibus ſigillatim omnibus multa dicere non eſt noſtri inſtituti, Sequentia ſufficient Theoremata, quibus brevem de Lege homini datâ ſermonem adjiciemus 1. Legem Dei participatam non minus quam primam illam, eſſe æternam, quatenus in divinâ mente ab æterno fuit: 2. Primam illam Legem

æternam propriè legem non eſſe, quòd relationem inter ſuperiores & inferiores ſupponat legiſlatio 3. Quùm nihil Summi Creatoris ordinationi ſubtrahatur, a quo pax univerſitatis adminiſtratur, quæ deſciſcunt a ſecundâ hâc lege æternâ præcipiente, a primâ illâ lege æternâ providente ordinari. 4. Ut motus naturales qui ſine ratione cientur Juris nomine non ſunt appellandi, Itá vim eam naturæ unde ſunt, non niſi abuſivè legem naturæ dici, quia ſolius intellectualis creaturæ proprium eſt agere propter Finem, Adque eum ſeipſam dirigere, vt pote quæ ſola finem cognoſcat, reliquis, etiam ſentientibus creaturis licet rem appetitam, non tamen ſub Finis ratione cognoſcentibus, adeoquè non ſecus quam a jaculatore ſagittam in ſcopum, creaturarum haud intellectualium naturâ a Deo omnium noſcente Fines impulſam, ad ipſius bonum dirigi. 5. Propriè ergo legem eſſe, quæ cum Juris ſit regula, imo ipſa juris conſtitutio (quod humani generis eſt proprium) humanas actiones ordinat, Nam de Angelorum naturâ, eorumq; ſecundum eam menſuratis actionibus alius eſt dicendi locus.

Iſta homini impoſita Lex, vt eſt antè dictum, vel Divina eſt, eaquè Naturalis, aut Poſitiva, vel Humana, quæ Civilis aut Canonica, Paucis primò de divinâ, deindè de humanâ dicemus; Lex divina naturalis, quæ & rationis dicitur, eſt ea, quæ luce innatâ ac ratione naturali actiones hominis ad ultimum bonum dirigebat, atquè hæc eadem eſt, quæ ad ſupplendum lucis illius innatæ ex *Adami* lapſu obfuſcatæ defectum, a Deo per *Moſen* tradita fuit, De hâc Lege hîc tantum duo notentur, (neq; enim hic Theologos agemus) Unum eſt quòd in Statu integræ naturæ lex hæc quâ innata, regula eſſet earum actionũ quibus

Wemyss, Sir J.

quibus ex liberali Dei Juſtitiâ in præmiis, vt loquitur *Scotus* lib. 4. Sentent. Supererogantis retribuenda fuit vita perennis tanquam naturalibus & ſufficientibus ad finem illum mediis, &c, ſi itá loqui liceat, meritis; Alterum eſt, quòd, nunc in Statu naturę corruptæ eadem hęc lex, quà cœlitùs promulgata regula ſit actionum non quæ a nobis itá pręſtari poſſint, vt ad bonum illud ultimum ſufficientia ac naturalia ſint media, ſed quæ medium ſupernaturale, Fidem puta in Chriſtum, lege poſitivâ mandatum, tanquam neceſſaria effecta teſtificentur: Lex Divina poſitiva, quæ Revelationis lex dici poteſt, duplex eſt, Una ſpiritualis, quæ cœlitùs a Deo homini revelata, cum propter hominis corruptionem inepta eſſent pręducta media naturalia, ſupernaturale oſtendit, mandatq; medium quo ultimus acquiritur Finis. Alia Judicialis eſt, quâ idem Deus tanquam directus Reip. Judaicę Dominus, quiquè illi genti peculialiter Legiſlator eſſe voluit, Pręcipua ejuſdem gubernandæ media cœlitùs indicit: Spiritualis illa duplex etiam eſt, Vetus quæ populo Judaico ante Chriſti adventum, Et Nova quę poſt exhibitum in carne Chriſtum omnibus populis data, Veteri Fides in Chriſtum qui venturus erat cæremoniis præfiguratũ injungebatur, Novâ in Chriſtum qui jam venit Sacramentis demonſtratum præſcribitur: De his legibus Dei poſitivis hęc obſerventur: 1. Legem ſpiritualem veterem, Judæorum quaſi Pædagogum fuiſſe datam, quâ minores illi principia ſcientię Theologicæ docerentur. 2. Novâ lege Spirituali, quòd in veteri illâ perfectum erat, clariùs continente Chriſtianos ut adultos, perfectionem doctrinæ doceri. 3. Legem Dei judicialem, etiamſi authoritatem divinam ſimpliciter apud Judæos obtinuerit

rit, in ſe tamen, teſte D. *Iunio*, cap. 2. de polit. *Moſ.* fuiſſe pro naturâ humanarum legum, a Deo modificatam, vt, ſcilicet non ſemper, ſed ſecundum ferentis voluntatem & perſonarum, negotiorum, ac circumſtantiarum quæ offerrentur modum obligârit.

Atquè hæc breviter de Lege divinâ. Lex humana eſt, quę ab homine fertur, immota principia communeſquè concluſiones quæ ex lege divinâ deducuntur, ſecundum modum & conditionem perſonarum, rerum, & circumſtantiarum quę legis ordinationi ſubſunt, particulariter determinante; Nam quę e principiis & concluſionibus legis divinæ ſimpliciter & purè deducitur, implicita pars eſt legis divinæ, &, communi nitens æquitate, immutabilis, quùm contrà lex omnis humana quà talis implexam habeat mutationis conditionem; Diximus humanâ lege particulares fieri determinationes ſecundum modum & conditionem perſonarum, rerum et circumſtantiarum, quia perſonæ, res, & circumſtantię, vel communiter & in ſe, vel ſingulariter et relativè conſiderantur perſonę communiter conſiderantur, vt ſimpliciter homines, ſingulariter, vt homines, exempli gratiâ, nationis Scoticę res item in ſe conſiderantur, in naturali ſuo uſu; & relativè in earundem uſu ad ſingularum perſonarum Statum accommodato, demùm circumſtantiæ, modum habentes ex perſonis & rebus communiter ſecundum ſuam naturam, ſingulariter ſecundum legiſlatoris perſonarum rerumquè rationem habentis inſtitutum conſiderantur. Qui hæc, vellet exemplis (quibus immorari nos pręſenti non couvenit inſtituto) illuſtrari; prædictum D. *Franciſci Iunij* de polit. *Moſ.* tractatum legat. Reſtat de legum obligatione verba faciamus, Quæ vt melius intelligatur, cauſas mutabilitatis

Wemyss, Sir J.

litatis legum declaremus, Legis pendere mutabilitatem, vel a perſonæ legem ferentis, vel a rerum de quibus fertur lex conditione docent Theologi, quum enim Legiſlator, in ratione cujus, eſt lex ordinatio, proficit, (vt poteſt omnis homo,) legem jam latam mutare poteſt, & quæ de rebus in ſe mutabilibus fiunt, (cujuſmodi & Dei leges eſſe poſſunt) plerumq; eas mutari oportet; Híc primò moveatur quæſtio, An quandò non major eſt ratio, legis mutationem quę ſuadeat, quam quę ejuſdem procuravit lationem mutari ea poſſit, Communis eſt opinio, debere mutationem eſſe in melius, vt proindè malè faciat, qui nõ majore ad mutandam, quam priùs ad ferendam legẽ aliquam adductus fuit, ratione impellatur, quòd mutationibus minuatur legum Authoritas: Et quidem hujus opinionis veritatem non egrè agnoſcimus, Indè verò non arguitur Legis in eo caſu immutabilitas, quia licet fateamur forſan, ſic peccare novitatis authorem, vim tamen obligantem habet quæ de novo fertur Lex, non habente locum obedientiæ detrectatione, niſi ubi iniquitatis proponi poteſt exceptio; Quâ reſponſione diluitur quæ eſt a novitate objectio contra Epiſcopalis in hâc Eccleſiâ regiminis reſtitutionem, Si & (quod non facilè concedemus,) æquè magnâ cum utilitate retineretur cõmunis Presbyterorum gubernatio, & Epiſcoporum προςασια non fulciretur conſtante hactenus omnium ferè Eccleſiarum conſuetudine: Deindè quęri poteſt, An lex omnis humana ſit mutabilis nec-ne? Et affirmativam tenemus partem, Quòd legis ſimpliciter humanæ principium, ſit hominis ratio variabilis & imperfecta, ejuſq; objectum res ſuâ naturâ mutationi obnoxię, Nam, vt poſteà dicetur, Quicquid ſic principio & objecto or-

dinatum eſt, vt certâ ratione, putà, ſecundum formã rationis æternæ in naturâ adumbratæ, aut verbo Dei expreſſæ, ad rem juſtam & legittimam reſpiciat, vt eſt immutabilis, ità divini Juris eſt, de quo humana quę fertur Lex, eſt poſitiva tantùm pœnæ aut præmii determinatio; Nunc quomodò obligent Leges exponatur, Non eſt quòd hic diſquiramus quomodò creatorem obliget quàm ſibi impoſuit, lex, Aut quomodò Angelos confirmata conditio, Creaturaſquè omnes quâ naturalia ſunt agentiâ, obliget inſita naturæ vis. Quæ ſit normæ homini liberè agenti præſcriptę obligatio prę ſentis eſt conſiderationis, Quin omnes & ſemper in Conſcientiâ obliget, quæ divina eſt de jure naturali Lex primùm per naturæ lumen poſt per Dei verbum patefacta, nemini eſt dubium; non item controvertitur, An Judæos uſquè ad Chriſti adventum in Conſcientiâ obligarit vetus Dei lex ſpiritualis typica, Fidem in Chriſtum vt venturus erat, typorumquè ideò obſervationem præcipiens; Nequè An ſic obligentur nunc omnes, novâ lege ſpirituali Evangelicâ, Fidem in Chriſtum quà jam venit, Sacramentorumq; uſum injungente: Imò nec ambigitur, utrum Judicialis Dei lex durante Judæorum Rep. neceſſariâ obligatione eos conſtrinxerit: Deniquè exſpiraſſe nunc, legem ſpiritualem veterem, nemo eſt Chriſtianus qui non agnoſcat; Quæſtio igitur tantùm eſt, de prę ſente legis Dei Judicialis obligatione, & quomodò Conſcientiam liget lex humana, Quia quęſtionem de Judicialis Legis obligatione plurimi dilucidè enodarunt Theologi, breves nos erimus: Quę ergo, legis Judicialis pars fuit de Cæremonialibus ſigni atq; ordinis, licet in Illorum non ſpecie ſed genere tantùm obliget, tamen & in ſpecie obſervari poſſe ea cęremonia

Wemyss, Sir J.

monialia fatetur D. *Iunius.* Deindè quæ de politicis fuit, ad peculiarem Judaici regiminis rationem accõmodatis, Quæ etiam fuit de politicis duro Judaici populi ingenio attemperatis, nullo eas nunc modo obligare, & ex unâ parte Judæos imitari, incommodũ, ex alterâ, iniquum eſſe arbitramur: Quæ demùm de pœnis fuit quibus violatio Legis moralis vindicaretur nec-non de Judiciorum ratione, ſi non eſt obligatoria, ſaltem ubi non obſtant circumſtantiæ obſervatu dignam eſſe eam ſentimus: Ut paucis ſummam complectamur, Lex Dei moralis, eſt immutabilis, Poſitiva ſpiritualis Evangelica immutabilis item & neceſſaria, Lex vetus typica neceſſariò mutata, & Judicialis magnâ ex parte mutabilis, haud neceſſariò mutãda, Moralis manet ſemper vitalis, Evangelica vivifica, Typica nunc mortifera, & Judicialis quòad obligandi vim mortua. Quòad Legis humanæ obligationem, Eâ quoquè ligari Conſcientiam autumamus quòd per eam, non modò externam obedientiam ſubditi corpus, ſed & internam inclinationem debeat animus non ob res eâ præceptas aut prohibitas, ſed propter ferentem, cui edixit Conſcientiæ Dominus propter Conſcientiam eſſe parendum, Equidem non poteſt homo internum voluntatis actum primarió præcipere, nec infligendam ab homine pœnam metuit Conſcientia, quia vt Deus ſolus καρδιαγνώστης eſt, Ità a Deo ſolo irato patitur Conſcientia, Lex proindè humana primariò externum non internum ligat hominem, Nihilominus quia mandatum quo nititur debita legi humanę obedientia Dei eſt non modo effectum ſed & affectum requirentis, Et conſecutione quâdam, pœnæ etiam ſpiritualis reatum infert lex humana licet illam infligere nequeat homo, Internum etiam homi-

E nem

nem ſecundariò ea ligat, non quidem per ſe, & ratione objecti, verùm mandati divini reſpectu, vt peccato afficiatur ſubditi Conſcientia quod eâ præcipitur non ſincerè efficientis, non quia quod eâ continetur bonum in ſe eſt, ejuſvè contrarium malum, ſed quia præcipientem ſuſpicere bonum, deſpicere malum eſt, Idq; non propter ſe & quatenus homo eſt, Sed Dei ratione eum honorari jubentis, et, vt ità loquar, quá Deus eſt, Magiſtratus enim Deos appellat Scriptura Pſalm. 82. Hinc Paulus, Coloſſ. 3 22. & 23. dans ſervis præcepta, ὑπακούετε, ait, κατὰ πάντα τοῖς κατὰ σάρκα κυρίοις ἐν ἁπλότητι καρδίας, καὶ πᾶν ὅ, τι ἐὰν ποιῆτε, ἐκ ψυχῆς ἐργάζεσθε ὡς τῷ κυρίῳ: Ad hæc, vt paucis dicam, ligat Conſcientiam Lex humana, quia per conſecutionem præcipit interiorem voluntatis actum, nam actus exterior lege præcipitur vt liber eſt & humanus, talis autem ſine interiori non eſt, Ità vt lex homini præcipiens, vt quid faciat, eidem vt id facere velit, neceſſariò præcipiat, quum actus principium ſit voluntas, Quamobrem etiamſi non delinquat qui ſimplicem ac indeterminatū habet affectum faciēdi aut non faciendi quod in ſe indifferens eſt, Si tamen haud obſtante legis determinatione illud velit, quod ſic, Legem etiam Dei virtualiter contēnat, delinquere eum affirmamus.

Undè ſequitur, accedente principis authoritate talem evadere actionem in ſe adiaphoram vt citra peccatum fieri aut non fieri non poſſit, præterquam enim quòd legiſlator honeſtatem morum in materiâ civili in ordine ad ſuum finem intendens quandam in materiâ mutationem efficiat, legiſlationis poteſtas divinæ pars eſt poteſtatis, & ſub eâ ratione vim includit quâ ligetur ipſe ſpiritus, Ut quemadmodum qui reſiſteret Regis miniſtro quatenus eſſet Regis miniſter

Wemyss, Sir J.

ſter ejuſquè repręſentaret perſonam, ipſi cenſeretur Regi reſiſtere, Sic qui Dei miniſtro Regi poteſtatem a Deo acceptam habenti reſiſtit, Deo reſiſtat, &, vt loquitur Apoſtolus, Dei ordinationi, eiquè reſiſtens ſibi ipſi damnâtionem acquirat: Atquè hæc monſtrant, quomodò ligent, dubitetur quouſquè ligent Conſcientiam leges humanæ; Putant ex Scholaſticis nonnulli non obligari Conſcientiam lege pœnali ad actum in eâ præceptum aut prohibitum, obligari tantum in conſcientiâ ſubditum ad pœnam committenti vel omittenti indictam patienter ſubeundam: Nos autem, dicere non veremur, ejuſmodi eſſe legis obligatoriam in conſcientiâ vim, vt cui fertur, non modò ad pœnam abſquè reſiſtentiâ ſuſtinendam, ſed etiam ad actum committendum aut omittendum teneatur, Nam quicquid dicant Scholaſtici, non niſi ob culpam præcedentem, infligenda videtur pœna, Adeò vt aſſerendum ſit, in lege quâvis pœnali, actum ſimpliciter juberi aut vitari, alioqui ſi unum ſit, ea, præceptum hypotheticum, pœnalem propriè non eſſe legem, nequè quam in eâ appellamus pœnam, quà talem, ſed ſub ratione æqualis majoriſvè boni quam eſſet actus commiſſio vel omiſſio, præſcribi: Si hîc roget quis, ſi non immediatè ſicut divinę conſcientiam ligent leges humanæ, qui fiat, vt gravius puniri ſoleant humânarum quam Divinarum quarundam violatores, cum gravius ſit peccatum divinæ quam humanæ Legis violatio; De quâ re non parùm quęruntur, quibus nequit ob ſuperſtitioſum quendam conſcientiæ ſcrupulum perſuaderi, vt debitam cōſtitutionibus pręſertim Eccleſiaſticis obedientiā præſtent: Ideò fieri opinamur quòd naturalis in homine ſit propenſio, ad divinum mādatum de re moraliter bonâ, contra quam

pugnat hominis natura, non ad humanum de re mediâ ſtatutum malæ hominis naturæ minùs contrariâ, violandum, Undè cum in illo caſu neceſſarium magis ex infirmitate ſit delictum, in iſto voluntarius ſit magis cum malitiâ contemptus, in illo magis quam in iſto excuſatiori (ſi sic loqui fas) locus eſſe poteſt; fit verò præcipuè ne graſſante propter haud ſeverè punitos humanarum conſtitutionum contemptores, ejuſmodi inobedientiâ, ſic imminutæ publicæ authoritatis vires, ad legis ipſius divinæ tranſgreſſores meritò cohibendos non valeant, Atquè adeò mitius agitur cum particularium legis divinæ præceptorum quam humanarum ſanctionum pręvaricatoribus, vt dùm his debitâ ſe ſubdit obſervantiâ populus, religioſam Legis divinæ in genere obſervationem faciliùs procuret Princeps. QUARE concludimus, què res ſunt quoad naturam Adiaphorę propter imperantis authoritatem deſinere eaſdem quòad uſum adiaphoras eſſe, Neq; verò tollit libertatem Chriſtianam hęc neceſſitas obedientię homini præcipienti pręſtanda, ſed quæ eſt de neceſſitate rei objectivę præcepti opinio libertati Chriſtianæ officit, nam diſtinguendum eſt inter neceſſitatem obedientiæ, & neceſſitatem, quam vocant doctrinę, ut benè obſervavit doctiſſimus Epiſcopus *Ciceſtrenſis*, quia poteſt eſſe illius Conſcientia quoad opinandum libera, cujus eſt perſona, etiam propter Conſcientiam ad operandum obligata.

DE

De Legum Principiis, ſeu Cauſis.
Cap. V.

QUOD ad cauſam Legis humanæ efficientem, in tractatu de Comitiis eam attigimus, eſtq; penes quem ἄκρα eſt ut vocant *Græci* ἐξουσία, Lex enim parendi neceſſitatem omnibus quibus eſt poſita imponit (cùm pro non præcepto ſit id omne cui quis niſi velit parere non cogatur. leg. ſub hac. ff. de oblg. & act.) parendi autem neceſſitas ex pœnâ legi additâ, & legem ferentis authoritate oritur, Ità ut in omnes jus, omneſq; puniendi poteſtatem habeat, qui leges dat: Si quis hinc inferre velit, Regnorum nunc omnium Chriſtianorum non verè Monarchicam ſed mixtam eſſe gubernationem, quum non niſi in Ordinum conventu, Eorumque conſenſu fiant Leges, & alicubi invalida ſint Regum Edicta, niſi Senatus ea comprobet Juridicus; Reſpondemus, adhibitum in legibus ferendis populi per Ordines coadunati conſenſum, aut in Edictis promulgandis Curiæ Senatoriæ approbationem ſeu potius ὁμολογησιν, non tollere ſupremam Regum in legibus ferendis aut Edictis edendis authoritatem, quandoquidem ſibi aſciverint Reges ipſi populum & Senatum aſſeſſores, quorum prudente conſilio latis legibus atq; Edictis in Regni Regiſquè ſalutem alacrius pareretur, non quòd de juris neceſſitate requireretur eorum aſſenſus, Nam ignorat nemo in Hiſtoriâ verſatus, longo poſt Regni ferè cujuſque ortum tempore, Ordinum Regni & Curiarum cæpiſſe inſtitutionem, & quam habent poteſtatem, a

Regibus volentibus conceſſam eſſe, quæ autem, ut ait Juris-conſultus, a voluntate promittentis ſtatum capit obligatio, non de neceſſitate conſiſtit, hinc fuit quòd Rex Chriſtianiſſimus *Henricus* quartus in ſuo, ad Parlamenti Pariſienſis Curiam, ſuper Societatis Ieſu reſtitutione in *Franciâ*, reſponſo, juſſerit ipſius voluntati acquieſcerent Senatores, iſtius ſocietatis reſtitutionem approbando, alioqui eos officio moturum, aliosque qui ipſius dicto audientiores futuri eſſent, ſubſtituturum ſe minatus eſt; Neque modus ille Ariſtocraticus aut Democraticus arguit Reip. formam eſſe mixtam, forma enim Reip. quia interna, non in externo gubernationis modo, ſed in imperii primatu, cujus eſſentia eſt individua conſiſtit, & quia omnino ſimplex & ἀμεριςον quiddam eſt ſupremum imperium parum philoſophantur, qui utiliſſimum dicunt eſſe regimen, quod ex omnibus tribus formis eſt, vt loquũtur, temperatum, Ergo inter Reip. ſtatum, & regiminis modum; diſcriminis multum eſt: Quæ cum ità ſint, non erubeſcimus Juriſtarum rejicere opinionem qui volunt in Monarchiis non obligare legem niſi a populo acceptetur, cum Monarcha ſit Legiſlator, & lex lata quà lex obliget, Adeò vt ad eam acceptandam cogendi ſint ſubditi, Quòd ſi alicubi non habeat Rex poteſtatem leges ferendi niſi ex Populi in Comitiis conſenſu, & ſic fundamentaliter limitatam, propriè Rex non eſt, ac non tam acceptans eſt populus quam cum Rege ut Collega legem ferens, Alias certum eſt, ex Authent. ut factæ novæ conſtit. Poſt legis a vero Monarchâ latæ publicationem, temporiſquè quoad populi notitiam perveniat ſufficientis lapſum poſſe ſine ullâ acceptatione publicâ legis obſervationem preciſè urgeri; Deinde, audemus dicere, In Monarchiis

25243

narchiis Reges ſupra leges eſſe iiſque ſolutos, Nemo enim ſibi legiſlator, Judex aut vindex eſt, aut in ſeipſum juriſ-dictionem habet, ſibique imperare, vel a ſeipſo cogi poteſt, niſi quà una ejus pars alteri, puta anima corpori, aut animæ facultas una alteri, ſuperior nimirum vt loquuntur Philoſophi inferiori, ratio appetitui, vel potius, vt aiunt Theologi, per totam animam, ejuſque facultates omnes ſpiritus carni dominatur; Verum quidem eſt decere Principem, &, vt populum exẽplari ſuâ obſervantiâ legibus reddat magis morigerum, expedire ſuis ſe legibus ſubmittat, Ideò autem oportere Principem legibus parere, pœnarũq; iis annexarum impoſitione frænari falſum eſt, debet non neceſſitate coactionis vt ſubditi, ſed liberè & boni communis intuitu latas a ſe leges obſervare, quarè dicunt Juriſ-conſulti, Regum poteſtatem eſſe Anomolam; Diſtinguunt ſic nonnulli, Principem quoad vim legum directivam non coactivam legibus eſſe ſubjectum, Quæ probanda non videtur diſtinctio, non enĩ magis dirigere quam cogere ſeipſum poteſt quis, cùm actio omnis ſit inter agens & patiens, quæ diſtincta eſſe oportet, Sic potius diſtinguendum putamus nos, Aliquandò legem a Principe latam materialiter, nunquam formaliter Principem aſtringere, Lex enim a Principe lata, etiam Dei vel naturæ Lex quoad materiam eſſe poteſt, aut divinam in ſe naturalemq; com plecti rationem, & ſic Principem aſtringit, non ſcilicet quà lex eſt Principis, ſed quà idem præcepit Deus quod in ea præcipitur. Quo caſu dupliciter aſtringuntur ſubditi legi illi, materialiter quà jubetur quod bonum eſt a Deo ipſo antè imperatum, & formaliter quà Princeps mandandi habens poteſtatem id jubet, Si tamen leges ſuas ſe ſervaturum pacto obligaverit

Princeps (quod raró aut nunquam fit etiam-ſi ſolcat Princeps quiſq; legum ſuarum obſervationem hoc ſenſu promittere, id eſt, ut, a ſubditis obſerventur, ſe effecturum) ad earum obſervationem teneri eum confitemur, ſed Relligionis potius quam Juſtitiæ legalis obligatione, quâ non minuitur ſumma Principis poteſtas, vt non pugnat cum ſupremo Dei dominio, quæ oritur ex gratuitâ ſuâ & voluntariâ pactione Dei erga creaturas obligatio, Nihil enim vetat Deum ipſum ex neceſſitate & lege nobiſcum agere, quam ſcilicet ſibi ultrò ipſe impoſuit, Neq; hic negamus secũdum judiciariam quę debet eſſe in Principe Juſtitiam, ſubditis ſuis obligari Principem cùm vt ſecundum juſtitiam cõmutativam in cõmerciis & contractibus rerũ æqualitatem juxta proportionem Arithmeticam ſervet, tùm ut honores & præmia, itemq; pœnas, merentibus juxta Geometricam proportionem diſtribuat, nam etiam in Deo iſtas juſtitiæ ſpecies, μεταφορικῶς & καταχρηστικῶς, agnoſcunt Theologi; licet, ut inter Deum & homines non poteſt eſſe Juſtitiæ cõmutativæ propriè dictæ exercitium, Ità nec inter Principem & ſubditos ſit, quòd ſubditi ſua omnia Principi ſecundum Deum quodammodò debeant, ſuoq; dominio rerum ad ſubditos pertinentium ſupremo nequeat ſeſe privare Princeps, ubi enim pars una obligata eſt alteri, nec dominium rerum traditarum abſolutè transſerri poteſt, ibi non eſt vera & propria rerum cõmutatio, Quòad diſtributivam, non modo poſſe ſed & debere illius eſſe a Principe erga ſubditos exercitium fatemur præſertim quandò ortum eſt ſubditis jus ex liberali Principis promiſſione, quoniam & Deus promittendo juſtitiæ diſtributivæ debitorem ſe facit, eòque magis ad promiſſum ſervãdum obligatur, quò major eſt qui

promiſit

promiſit, majorem habens promittendi vel non promittendi libertatem, Quod cauſæ eſt cur dicatur æquè debere valere Principis verbum, ac ſubditi juramentum; Sed ſi Princeps nihilominus utramq; eam juſtitiæ ſpeciem negligat, Non poſſe a ſubditis vindicari neglectum pro certiſſimo tenemus, quia nemini licet ſecundum legem Dei, (qui ſolus in Principem legem ferre, legemq; perrumpenti Principi pœnam inferre poteſt) judicare, præterquam Deo legiſlatori, aut ſubſtituto ei legis vindici, alii autem quám ipſi Principes a Deo ordinariè conſtituti non ſunt legis divinæ vindices: Ut finiamus hunc de cauſâ Legis efficiente ſermonem, etiamſi lex divina Principi, tamen Princeps Civili præſtat vt ſuo operi Artifex, Et in jure civili ſatius eſt per Principem adminiſtrari Remp. quam per Legem, nam ubi eſt princeps, ibi, vt ait *Euripides*, Deus eſt in humano corpore hoſpes, ac primariò & propriè eſt Majeſtas in principis perſonâ, Secundariò in Lege, Idcirco Regi non propter legem quæ ab eo fertur, ſed legi propter Regem qui eam fert, Adeòq; Regi magis quam legi parendum eſt, Nam Propter quod unumquodquè eſt Tale, id ipſum eſt magis Tale, Ut tamen ſit Princeps qualis eſſe debet, memoriæ ſẽper teneat, ut fælicitatis eſt poſſe, quantum velit, ſic magnitudinis eſſe, velle quantum poſſit ſeu debeat, ut *Plinius* de *Trajano* dixit.

Materia Legis, nimirum objectiva ſunt Subditorum actiones (eſt enim Lex actuum arbitra) eæquè indifferentes ſeu adiaphoræ, Quæ, ut definit *Suidas*, μήτε πρὸς εὐδαιμονίαν, μήτε πρὸς κακοδαιμονίαν ſυνεργοῦνται, Nam quæ per ſe bonæ ſunt aut malæ, lege eas ſuâ præcepit prohibuitquè Deus, Et, vt poſteá dicetur ubi de legibus

legibus Eccleſiaſticis erit ſermo,quæ circa eas eduntur a Principibus Statuta, pœnas tantùm determinant civiles, quæ legum jam a Deo latarum contemptoribus infligendæ ſunt, ut affirmandum ſit hìc unicum eſſe legis humanæ opus determinationem, quâ concluſiones a lege naturali aut divinâ derivatas, atque indè vim ſuam obtinentes, ſuâ legiſlator authoritate terminis quibuſdam ſingularibus circumſcribit, quoniam divinæ ſolummodo eſt poteſtatis res moraliter bonas immediatè legibus definire, Regię veró eſt id tantùm Statuere quo tanquam medio earum facilior fiat obſervatio, & circa omne id verſatur hæc poteſtas Regia, quod inhoneſtum non eſt, nam alios ſupremę poteſtati limites aſſignare non licet, hinc, In Caſſiod. Epiſt. 16. lib. 2. variar. Rex *Theodohadus*, Cùm, inquit, Deo præſtante poſſimus omnia, ſola nobis nõ licere credimus, quæ ſunt inhoneſta. Ad hujus objectivæ legum materiæ cognitionem clariorem, opus hìc eſſet actuum adiaphororum explicare naturam, Sed quià peculiarẽ de rebus adiaphoris libellum brevi in lucem edemus, in quo noſtra de actionibus omnibus humanis opinio, philoſophicè ac Theologicè explicatur, Impręſentiarum, pauca tantùm de actibus indifferentibus dicenda exiſtimamus;

Dupliciter poteſt actus conſiderari, Uno modo, in ſe & ſecundum ſpecificam ſuam rationem, vel in actu vt loquuntur, ſignato, Et ſic actus omnis lege Dei naturali aut poſitivâ non imperatus nec prohibitus indifferens eſt, Nam actus habet ſpeciem ab objecto relato ad principium, puta rationem, cujus regula eſt Dei voluntas per legem ſignificata, Undè ſi actus objectum, aliquid ordini rationis conveniens includat, actus eſt ſecundum ſpeciem bonus, & ſi aliquid repugnans

pugnans includat, malus, Si autem non includat aliquid ad ordinē rationis pertinens (vt, levare feſtucam de terrâ,) talis eſt indifferēs; Alio modo ſpectatur actus, reſpectu agentis, & ſecundum rationē individualem, ſeu in actu exercito, & ſic actus omnis, quatenus ab aliquo fit, ſi propter finem fiat convenientem bonus, ſi propter non convenientem aut nullum, malus eſt, tenetur enim unuſquiſq; finem naturæ ſuę congruum intendere: Ubi obſervandum poſſe actum, ſecundum objectum eſſe bonum, qui ſecundum finem malus eſt, agenti ſaltem (vt, danti Eleemoſinam ob vanam gloriam,) & actum, ratione finis bonum, poſſe malum fieri, determinante ſecus Lege, ex quâ debitam circumſtantiam, aliis, hînc liquet, præponderare, quòd actus indifferentes, etiamſi ut ad finem ordinati, Sint honeſti, etiam ſine lege facti, non tamen niſi legis vi propriè neceſſarii ſint, cùm antè legem latam ἀδιάφορον non neceſſarium ſit, ut fiant, qui, ſi fiant, ut ad bonum finem ordinantur, honeſti ſunt, &, ut ad talem finem ordinentur, honeſtum, imo neceſſarium eſt, Adeoq; qui ex ſe indifferens eſt actus, contingere poſſet non eſſe indifferens utrum a nobis fiat & quem a nobis fieri, aut non fieri indifferens eſſet, quando fit, indifferentem non eſſe; Iſti propterea circumſtantitiæ, ſcilicet mandato legiſlatoris cedunt, Finis, aliæque circumiſtantiæ, Nam in genere tantùm per legem charitatis, ſed in ſpecie per legem principis Politicam, aut Eccleſiaſticam coercetur τῶν ἀδιαφόρων uſus, Ità vt in actu, qui finis ratione bonus eſſet, poſitâ lege prohibente, per exceſſum peccet agens, & in bonâ propter eandem circumſtantiam ab actu ceſſatione, poſitâ lege præcipiente, per defectum peccet non agens, quia licet in arbitrario τῶν ἀδιαφόρων

 uſu

uſu cedere debeat cujuſque libertas infirmi fratris ſaluti, non tamen ob privatum hujuſmodi reſpectum, publicæ imperantis conſtitutiones ſpernendæ ſunt: Ex quibus conſtat improbandam eſſe eorum opinionem, qui pro circumſtantiarum convenientiâ, quæ ſeclußs legibus actus in ſe indifferentes, bonos reddunt aut malos, reſtringendam eſſe ac moderandam volunt Eccleſiaſticam Principum in indifferentibus poteſtatem, Namq; ſatiùs multùm arbitramur adiaphoros illos actus propter principum juſſionem, aut prohibitionem cõmittere aut omittere, ex quibus oriturum eſſe ſcandalum metus eſt, quàm obedientiæ Dei lege præceptę, aut inobedientiæ eâdem vetitę actus certo cum ſcandalo præſente, maximoq; forſan Eccleſiæ detrimento imponendam refragantibus pœnam inſequuturo committere aut omittere, potiſſimum ſi actus illi indifferentes, Adeoq; non activè & ex ſuâ naturâ ſcandalizantes, non omnibus indefinitè, ſed paucis ſcandalo eſſe poſſint, ac Paſtorum inſtructione malo omni indè proventuro occurrere poſſit Eccleſia: Verùm hanc quęſtionem, in capite, de Conciliis Eccleſiæ poſteà agitabimus, Eſt tamen aliquid hic addendum de actionum bonitate, ne errandi occaſionem miniſtraſſe videantur quę dicta ſunt; Obſervandum ergò, Quæ ex Philoſophorum placitis, formaliter bona eſt actio, juſtam habens formam, utilemque formæ diſpoſitionem, ſcilicet, in ſuo obiecto ordinato terminata, & ad finem ſuum ordinatum tendens, poſſe eam Theologicè non bonam, ſed malam eſſe, quòd illius principium ſit ab ordinatâ conditione abalienatum, Cujuſmodi ſunt actiones omnes humanæ, a voluntate intellectivâ, quam nondùm gratiâ fidei ſalutari affecit Deus, proficiſcentes; Quemadmodum

modum & mala actio quæ a non habente poteſtatem ſit, Neque enim ſufficit, juſta videatur cauſa, bonaq; ſit agentis intentio, niſi legittima quoque ſit in agente poteſtas.

Forma Legis breviter eſt juſſus, ſeu, vt ait D. *Iunius*, Ordinatio, quę actus eſt πρός τι, relationem oſtendens inter ordinantem & eos qui ordinationi ſubſunt Quarè ad legem conſtituendā requiritur, ut non ſimpliciter indicetur aliquid, multò minus optetur, ſed habitâ deliberationis ratione imperetur, ut fiat, vel non fiat, aut fieri concedatur, nam ait Juriſ-conſultus Legis virtutem eſſe, imperare, vetare, permittere .l. legis .ff. de legib. Quod arguit non eſſe eos Regiâ præditos fortitudine, qui cùm νόμοι debeant eſſe ἔμψυχοί ſubditos refractarios blandâ oratione rogant, & non referente Majeſtatem denunciatione iis præcipiunt, etiam quandò de debito ſibi officio, aut de juridicâ Reip. adminiſtratione agitur, Quam modeſtiam Imperatori indecoram, etiamſi interdum ſubtilis videatur, & vt ait quidam, ſatis imperet Princeps qui rogat potentiâ, quia armatæ ſunt Principis preces, compertum eſt Regiæ authoritatis deſpectui cauſam ſæpius præbuiſſe, hâc enim occaſione audet inſolens populus ergâ Principem tanquam precariò regnantē ſe gerere: Primum ergo cùm Lex eſſentialiter ſit prę-ceptum ad futura tantùm non præterita extenditur Lex, quia præceptum quà tale non de præterito, ſed de futuro tantum actu dari poteſt, Poteſt quidem legiſlator lege poſteriore priorem interpretari, & ſic cō miſſum contrà priorem delictum inſtitutâ de novo pœnâ punire, ſi non antè definita ſed arbitraria fuerit pœna, Sed quà declarativa eſt hæc poſterior, non

tàm Lex nova, quàm ſecundum antiquam ſententiâ eſt, & quá conſtitutiva eſt, futura de prȩteritis actibus judicia regulat, adquè actus futuros obligationem inducit: Deindè cùm legis forma ſit legiſlatoris voluntas obligandi ſubditos, jubendi verbis ſignificacata, rectè intelligenda eſt cōmunis ea ſententia, quâ dicitur, legis animam eſſe rationem, Nequè ením de eſſentiâ legis eſt ratio; Eſt quidèm qualitas materiæ legis, quæ efficientem quoq; movere debet, quia eſt legiſlatoris non niſi rationabilem præcipere actum, ſed non eſt forma legis conſtitutiva, quoniam non neceſſe eſt poſitâ ſemper ratione legem ſubſiſtere niſi rationi accōmodetur legiſlatoris voluntas, quȩ & non poſitâ ratione, præſertim in adiaphoris (quȩ propria legum humanarum objecta) efficax eſt, Quòd legi non quia bona, ſed quia lex eſt obedire oporteat: Adhæc facile ex dictis elicitur ſolutio illius quæſtionis, quam pluribus Philoſophi tractant, & Theologi, Cujus ſcilicet potentiæ, Intellectus ne an Voluntatis actus ſit Lex? Jntellectus quidem, legiſlatoris voluntatem dirigit, ſed voluntas dictatæ ab intellectu legis obligationem inducit, & intellectus judicium eſt legis radix, ſed ſubjectum legis eſt legiſlatoris voluntas, quæ exterius propoſita ſubditos ad hoc vel illud faciendum obligat: Voluntatis autem iuſſum intelligere oportet hujuſmodi propriè, qui juſtus ſit, & rectus, (teſte Philoſopho ſummȩ Stoicæ ſapientiȩ *Chryſippo* in lib. quem fecit περὶ νόμου dicente oportere legem Κανονα ειναι δικαιων καὶ ἀδικων προσςακτικον μεν ων ποιητέον, απαγορευτικον δὲ ων οὐ ποιητεον .l. nā & *Demoſthenes* .ff. de legib.) quia eſt iniquus juſſus impropriè juſſus, quandoquidem jubere, eſt jubere, vt quid fiat, quod fieri poteſt, quod autem iniquum, aut

quod

quod turpe eſt, fieri non poteſt, nam, vt ait *Papinianus*, lib. 15. quæſt. Quæ facta ledunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & generaliter contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt, .l filius .ff. de condit. Jnſtit. Et non niſi ὁμογνωμως lex eſt, quæ a legibus innatâ & inſpiratâ, ex æternâ velut Archetypo procedentibus aberrat.

Quid ergò faciendum erit, jubente impia, iniuſta, & turpia legiſlatore? Reſpondemus, non juſſui obedire, ſed jubenti ſubiicere nos ipſos debere, non obedientiam mandato, ſed mandanti ſubiectionem eſſe debitam, non faciendum eſſe quod mandatur, ſed mandanti non eſſe reſiſtendum, (qui namquè poteſtatibus reſiſtunt ſibi ipſis judicium accipient, Rom. 13. 2.) multò minus judicandum puniendumq; eſſe mandantem, cuius etiam δυσκολȣ graviterq; tyrannizantis ſubditos oporteat ſingulos merè patientes eſſe, & populũ, vt volunt nõnulli, univerſum, inculpatâ vitę corporumvè tutelâ uti, quæ, tamèn ego vix intelligo, quî fieri poſſet non valente populo eâ cum moderatione ſe tueri, vt, non plurima ab officio ſubditorum aliena, ex iracundiâ & indignatione adverſus Tyrannum peccet.

Nam rectè *Plato*, Sicut deſipienti Patri non eſt vis inferenda, ſic nequè deſipienti Principi, & ut cum parentibus vetat *Pittacus* contendere etiamſi æqua dixeris, Ità juſtiore ratione non eſt cum Principe contendendum, etſi æquam fovere cauſam tibi videaris, Quam ob cauſam, de diſtractione rerum ſacrarum loquens *Ambroſius*, eas deſideranti Imperatori, ait ſe non donare, quia quod licitum non eſt, petit, non negare, quia ſi libitum eſt, vendicandi poteſtatem habet; Sic impium imperanti Principi non parendum, quia quod licitum non eſt, imperat, non ei

 reſiſtendum

reſiſtendum, ſeu contra eum inſurgendum, quia quod libitum eſt, facere poterit, & nemo immiſſâ in unctũ *Iehova* manu ſuâ inſons erit, 1. Samuel. 26. 9. Ut verbo dicam, Tametſi, quod male jubet Princeps prę-ſtandum non ſit, tamen non pręſtantem oportet pœnam a Principe jubente ſtatutam tolerare, aut e principis territorio fugere, nam hæc ſunt in eiuſmodi caſibus remedia fugere aut pati: Quod a quibuſdam dicitur loquì Apoſtolum prædicto loco, Rom. 13. Non de perſonâ ſed dę officio Principis, reſponſionem haud meretur, Quos initio capitis ἐξουσίας nominat, poſtea ἄρχοντας appellante Apoſtolo, ſicut & 1. Petr. 2. 13. & 14. Jubens *Petrus* ὑποτάγητε πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει addit εἴτε βασιλεῖ, εἴτε ἡγεμόσιν, Adeòq; de perſonis quà poteſtate publicâ præditis loquuntur Apoſtoli, Hìc non erit a propoſito, dubium quoddam diluere, quò ponitur a quibuſdam caſus, in quo cùm permiſſa videatur inobedientia, in peccatum incidere poterũt quibus iſtud non contigerit eſſe enodatum, Num ſcilicet Cum ob facinus, quod a ſubdito quoquam perpetratum fuiſſe affirmat Princeps, de perpetrante illo in ipſo, quod prætenditur facinoris perpetrati actu, ſumpta fuerit principis juſſu, pœna extra-judicialis, ut legittimè facit, qui principis hâc eum ratione Magiſtratum conſtituentis juſſum exequitur, Ità teneatur, cui id imperat Princeps, apud populum facinus exponere, & propter illud punitum fuiſſe, quem deſignat Princeps authorem, declarare? A quibuſdam refertur Hiſtoricis, Cum mandaret *Papiniano Antonius Caracalla*, ut fratrem *Caracallæ Getam* jure occiſum, in Senatu diceret, Reſpondiſſe *Papinianum*, non tàm facilè Parricidium excuſari poſſe, quam fieri: Dicendum autem mihi videtur, Ne ſupremum Judicem arrogatâ

quæ

25243

quæ minimè competit poteſtate judicare audeant ſub diti, Quæ Principis actiones juſtæ aut iniuſtę eſſe poſ ſunt ſecundum facti veritatem, & pro Principis intentione, debere eas a Subditis juſtas præſumi, & ut tales, Principe jubente, palam promulgari, Quâ ratione, mendacium non committitur, & debita de Principis actionibus opinio apud populum conſervatur: Quæ ſi vera ſunt, errare patet eos, qui populo imputari quod peccat Princeps, & propter impium Principis mandatum puniri a Deo putant populum, ei, ſi poſſit, non reſiſtentem, Nam quoad *Ieremiæ* verba qui a Sacerdotibus accuſatus, itá alloquutus eſt Principes, *Ecce* inquit, *me in manu veſtrâ, facite mihi ut bonum & rectum videtur in oculis veſtris, verum omninò ſcitote, ſi morte afficitis me, ſanguinem innocentē vos imponere vobis, & civitati & habitatoribus ejus Ierem.* 26. 14. & 15. Jeremiæ, inquam, verba, ut volunt nonnulli non aliud evincunt, quàm iniquas Judicum ſententias non modo judices ipſos, ſed & populum eas probantem, & ſic iniquitatis participem, iræ Dei obnoxios reddere, quia Jeremias non modo Principibus, ſed & populo dicit, *Si me morte afficitis*, Innuens populum aſſenſu cordis, ut principes decreto oris, futurum mortis ipſius reum, aliàs divinæ non videtur eſſe juſtitię innoxios alienis peccatis involvere nihilquè cōmeritos punire: Sed ſi fortè videatur evenire ſæpius, ut iuxta prædictam denuntiationē propter deliria Regum, pœnis temporalibus plectantur Subditi, non Subditos qui innocentes ſunt, ſed in ſub ditis nocentes puniri Reges dicendum eſt: Apparet tandèm ex dictis vanitas illius diſtinctionis Pontificię, quâ dicitur Clericos Principum legibus ſubjectos eſſe obligatione non coactivâ, ſed directivâ, Lex enim

quâ Lex eſt, pœnam habet implicitè annexam, proinde vi pollet coactivâ omnis, Quarè ait Juriſ-conſultus, Legis virtutem eſſe, ut imperare, vetare, permittere, Ità punire, l. legis .ff. de legib. Et ad regimen quodvis, Tria hæc neceſſaria ſunt, ut poſſit Rector Præcipere, Judicare, Punire.

Finalis Legum cauſa, ut de eâ breviſſimè dicamus, eſt cõmune bonum: Ea verò eſt, vel proxima, vel remota; proxima, ut eorum penes quos ſumma eſt imperii, quorum impoſſibile eſt vivam vocem ad omnes ſigillatim pervenire, voluntas de populi bono legibus deſcripta ſubditis patefiat; Imperantium enim nuda voluntas, anteaquã eſſent leges ſcriptæ, (quas unà cum unoquoq; imperio cæpiſſe, vanũ eſſet imaginari) populis pro regulâ erat monitrice; Remota eſt, ut ſecundum eam voluntatem ità patefactam privatim vivant omnes ſubditi, & publicè judicent, imperentquè judices ac Magiſtratus: Quapropter non Regum coercendorum (nequè enim veriſimile eſt, ad ſe in ordinem cogendos leges introducere voluiſſe principes) ſed ipſorum, & ſubditorum ſublevandorum cauſâ expetitæ & conditæ ſunt leges, ut ubi non ſunt Reges (nequè enim, cùm corpora ſint, omnia regnorum ſuorum loca replere poterunt) qui loquentes ſunt leges, ibi ſint leges, qui tacentes ſeu muti ſunt Reges, ex quarum lectarum præſcripto vivant ſubditi, judicentq; Regum vicarii, ſuo non abutentes ad ſuam, proximorumq; perniciem arbitrio & poteſtate: Igitur inſervire Regibus leges, non dominari, oportere cenſemus, etiamſi omnes alios tam Judices, ac Magiſtratus, quam homines privatos legibus eſſe obnoxios fateamur: Et cum Sancto *Cyrillo*

concu-

concludimus Neminem leges Regum impunè reprobare, niſi Reges ipſos, in quibus, ut ait ille, crimen prævaricationis locum non habet: Si hic quæratur, num principis voluntas, in cauſâ aliquâ per ſententiam inter partes cum cognitione datam ſignificata canon eſſe poſſit, ſecundum quem teneantur Judices in cauſis ſimilibus judicare, & ſic per modum ſententiæ ferri poſſit lex? Reſpondendum, nobis videtur, ſententiam quá talis eſt legem dici non poſſe, quia ſententia ex ſe declaratiua tantum eſt juris, quùm de facto ſit præterito, vel de jure inter litigantes præexiſtente, Lex autem conſtitutiva eſt, &, ut ante diximus, formaliter eſt præceptum in futuro cadens, Si nihilo-minus ſecundum legem aliquam prius latam feratur ſententia a Principe illam sìc interpretante, uſquè dùm aliam interpretationem faciat Princeps, vim legis de priore interpretanda obtinere latam illam a Principe ſententiam, quia unius legis unus eſt legittimus ſenſus in omnibus negotiis ſimilibus idem iſquè eſt quem declarat ejus author, Quòd eiuſdem ſit legem condere, & interpretari, Et ſi ſententiam tulit Princeps de facto lege definito, niſi ex verbis ſententiæ conſtet principem non tàm Principis, jus toti Reip. dicentis, quàm arbitri, particulares ob reſpectus judicantis, munere functum eſſe, Probabile eſt debere ad illam tanquam regulam conformari judicum ſimilibus in cauſis ſententias, proindè tametſi non formaliter & explicitè, tamen virtualiter & implicitè legem eſſe eiuſmodi ſententiam, quemadmodum videre eſt ex lege ultimâ Cod. de legibus.

Nunc ex omnibus conſtans cauſis hæc conſtrui poteſt legis definitio, *Lex, juſſus eſt, ſupremi in quaq; Rep. gubernatoris, de actibus præſertim indifferentibus*

voluntatem declarans, ſecundum quam publica Magiſtratuum ac Iudicum functio, diſpenſetur, privataq́ Subditorum converſatio inſtituatur. Ex quâ definitione duæ Colliguntur legum qualitates, Perſpicuitas putá & Commoditas, Quiá lege declaratur imperantis voluntas, clara eſſe debet, undè ait *Iuſtinianus* nihil ſic proprium eſſe legi ſicut claritatem, .§. nos igitur. tit. de teſtam. imperf. in Novell. Quod ſi obſcura ſit, petendus eſt a Principe ejuſdem ſenſus, qui namquè fert is ſolus interpretatur legem, quòd ſua cuique voluntas non aliis nota ſit: Quarè miramur, quomodò poſt factam a Sereniſſimo Rege noſtro ſinceram, Edicti ſui de fidelitatis iuramento declarationem, conatus fuerit Cardinalis *Bellarminus* ab illius iuramenti præſtatione tanquam per obſcuras circumloquutionum ambages ad decipiendum incautum populum catholicū propoſiti pluribus deterrere; Et quia lex eſt declaratio Regiæ voluntatis de adiaphoris quę juris neceſſarii non ſunt, pro particulari temporis, loci, perſonarum, aliarumq; circumſtantiarum ratione, Reip. accō modanda eſt Lex. Atquè hæc paucis de legum latione, Sequitur de Regis Senatu dicamus.

De Senatu, vel Concilio Secreto Regis.

Cap. VI.

QUoniam eædem ferè ſunt Senatus, quę Comitiorum cauſæ, uno aut altero tantùm verbo eas delibabimus.

EFFICIENS ejus cauſa in Monarchiis eſt Rex, non vt antè diximus, Si in imperii ortu primique imperantis inſtitutione per legem caveatur fundamentalem, neceſ-

ſariò

ſariò deinceps adhibendum eſſe imperantibus in imperando conſilium, non eſt imperium illud verè Monarchicum, ſed Principatus quidam, & imperans ille non Monarcha aut Rex, ſed tantùm Princeps & tanquam *Venetorum* Dux, reſidente in Optimâtibus aut populo imperii ſummâ; Deligit ergo ipſe Rex,& pro arbitrio ſibi aſſumit,non,a populo impoſitos accipit Conſiliarios. quemadmodum,quandò *Moſi* adiungendus fuit ex Senioribus populi Senatus, non quos daret populus,ſed quos ipſe probaret,Dei mandato adjuncti ſunt 70. viri, Num. 11.16. Etiamſi non improbemus, a Rege juvene qui de idoneis Conſiliariis nõdum judicare queat, retinendos eſſe ſui prædeceſſoris Conſiliarios jam in negotiis Reip. exercitatos, Et ſi qui ex iis ſuſpectæ ſint fidei, in Senatu, alios ſi opus ſit, communi conſilio in eorum loca ſuſcipiẽdos, quos tamen, Rex ex quò adultus regendiq; arte inſtructus fuerit, conſulere, niſi velit, non teneatur.

Materialis Senatus cauſa, id eſt, ex quibus cõſcribitur Senatus, ſunt quidam ex Reip. civibus & ſubditis ab imperii principe delecti, De quibus aliud dicere quàm de perſonis Comitia conſtituentibus antè a nobis obſervatum eſt, vix ſuppetit, Ideoq; ad Formalem Senatus Conſiliaris cauſam tranſeamus.

Forma Senatus ſicuti Comitiorum eſt Conventus, Plures ergo oportet ſint qui Senatum conſtituant, Nam, ut docet *Ariſtoteles*, communis eſt cuſtodia principatus, neminem unum magnum facere, fidere etiam unius modò ſententiæ periculoſum eſt, quòd aut proditoriè adulator eſſe (cuiuſmodi ſolent vermibus ſcatere Regum aulæ) aut non omnibus æ-

que horis ſapere poſſit, (nam quandoq; bonus dormitat *Homerus*) quùm contrá inter plures, rarius contingat, omnes imprudentes eſſe ac perfidos; Exiſtimant autem Politici, non præſtare, multi in conſilium adhibeantur, Quòd, ex multis in conſilium coeuntibus, aliquem eſſe conſilii proditorem ſæpius eveniat, pernicioſa verò eſt conſiliorum præcipuè bellicorum evulgatio: In conventu hoc Senatorio, deligendi Senatores modum, & Senatorum officium conſiderabimus: Quòd ad delectus modum, vt floreat conſiliorum authoritas, eundem in Senatorum quem in Regni Ordinum delectu ſervabit Rex, vt ſcilicet ex omnibus Regni Ordinibus aliquos excerpat, Neq; enim ſolæ Nobiles & Plebeiæ perſonæ in iis quæ ad relligionem, aut Nobiles & Eccleſiaſticæ in iis quæ ad commercium, aut Eccleſiaſticæ & Plebeiæ, in iis quæ ad bellum ſpectant, idoneum ſanumque dare poterunt conſilium, Et quando Senatus ſeu Concilium Regis non ex ſolis Nobilibus, ſed & unà cum iis ad idem componendum, alii ex præſulibus & populo periti adiunguntur, tùm Trium quaſi Regni Statuum in Senatu harmonica unio, Regni ſubverſionem, eiuſvè in exitioſam Tyrannidem impedit converſionem, quę fortè Nobilium conſilia, abſq; juris interdùm & æqui cognitione & reſpectu obtruſa ſequeretur; Quod in cauſâ fuiſſe videtur, cur, Collegium Juridicum (quod vulgò appellatur Seſſio) Inſtituens Rex Iacobus primus, ex Ordinum Regni conſenſu ſtatuerit, vt uná cum Cancellario ſelecti a Rege e Tribus regni Ordinibus nonnulli Viri prudentes, exinde ter quotannis ubi Regi videretur, Juſtitiæ, vice Regis, eiuſ̀e Concilii ſeu Senatus, adminiſtrandæ gratiâ conſiderent.

parlia-

Parliam. 3. Jacob. 1. cap. 65. Cavendùm tamen ſuademus ne Nobiles deſpiciat Princeps, vt enim populo vitam eripit, qui pecuniam, ſic Magnatibus, qui honorem: Quod ad Senatorum Regis Officium, non eſt illud propriè juriſdictio, ſed tantum conſilium, Nam vt Conſiliarii, cum Rege juriſdictionem exercente, tantùm conſident, non, vt Regis Vicarii aut Collegę inſtitutionis ipſorum virtute judicant, Quod innuunt *Davidis* verba pſal. 101. 6. aientis, quòd ipſius oculi attendent ad veraces terræ ut cum eo conſideant, Ideoq; quod in Senatu, quemadmodum quod & in Comitiis fit, non a Senatu aut Comitiis, ſed a Rege in Senatu Comitiiſve fieri dicimus, quem aut præſentem, per ſe, ſuumvè Legatum, ex Senatorum procerumvè conſilio placita & leges edere, aut abſentem, eorum conſilia, vt leges fiant & placita, probare oportet: Si dicat quis, fuiſſe Romæ, & eſſe adhuc in omni fere Rep. penes Senatum, imperii jus ac iuriſdictionem, Sciat illam imperii juriſdictioniſque authoritatem, a Rege, vel abſente, vel in arcanis imperii, Senatum magis familiarem, ſeu quod privatum, & Status ac cubicularium dicitur conſilium habente, concedi, Ità ut ſit jus illud, non ordinarium Senatui quà Senatus eſt competens, ſed exttaordinarium, quod per commiſſionem, aut quà Collegium fit quibuſdam in cauſis juridicum, Senatus habet; Neq; verò putet quis, ſic elevare nos ſacri Senatus authoritatem, quia non in eo conſiſtit Senatorum dignitas, quòd in imperando cauſaſq; decidendo occupentur (ea namque poteſtas iis acceſſoria eſt,) ſed quod iis tanquam interioribus amicis Secreta Regis communicentur: Quum ergo Senatorum, quá talium, effectus ſit conſilium, Sequitur non teneri Regem omnia iis negotia cõmunica-

care, nec quicquid iis videtur bonum, ſemper facere, qui enim aliquos in conſilium adhibet, ut non niſi dubitans, id quærere neceſſe habet, (exquirere autem abditos Principis ſenſus illicitum & anceps, ut ait *Tacitus*) sìc non tenetur eorum ſententiam ſequi, quiá non eſt idem conſulere, & ſtatuere, c. quin olim. tit. de arbitr. Hâc de cauſâ *T. Smithus* lib. 2. cap. 4. de Rep. Angl. *Sanctius*, Inquit, *conſilium ex Nobilibus, Baronibus, Equitibus, Armigeriſque prout libet colligit Princeps, qui indies ſingulos aut quoties neceſſitas poſtulat ſuper graviſſimis Regni negotiis deliberatum conveniūt, vt Principi quàm optimè conſulant, quibus ille, ſi videtur, aut vniverſis aut aliquibus ſumma legationum capita ab exteris Principibus profecta exponit, literas ad ipſum aut ad eos qui ipſi ſunt ab epiſtolis ſuis ablegatas communicat, In vtriſq; quicquid tacitum vult, apud ſe ſolum retinet, tametſi interim ſacramento Conſiliarij obligentur, quotquot in illum cætum cooptantur : Quâ in re abſolutiſſimum eſt* (inquit ille) *præ Venetorum Ducatu aut Lacedemoniorum Principatu hoc Regnum Angliæ.* Et apud nos, In parl. 2. Regis Jacob. 4. c. 12. dicitur itâ ſuam humiliaſſe Majeſtatem ſupremum Dominum noſtrum, vt polliceretur, Conſiliariorum tunc ab eo electorum conſilia uſq; ad proximè futurum generale Regni concilium immutabiliter ſeſe obſervaturum, Quæ inanis fuiſſet pollicitatio, & ineptè Majeſtatis appellata fuiſſet demiſſio, ſi ex ſe eſſet neceſſaria Senatorum authoritas: *Sigonius* quoq; (lib. 6. c. 4. de Rep. Judeor.) loquens de *Buluterio Hieroſolymitano*, dicit Sine illius authoritate tametſi conſultandi gratiâ ſemper permanentis, decreta ſæpius feciſſe Reges, vt qui in poteſtate Remp. haberent, nequè obnoxii legibus eſſent.

Autumamus tamen non debere Regem conſilia aſpernari

pernari, ſi rectè velit imperare, quia ſicut, Rege, in Regno ſuperiorem eſſe aut hominem aut curiam ullam inficiamur, ne ex Regno non Regnum faciamus, itá jure hoc Primatus inſolenter ſine conſilio abuti Regem non cupimus, ne propter illius in reiiciendo conſilio arrogantiam, conetur populus rebellis ex Rege non Regem ſeu Ex-Regem eum facere, non quòd poſſit populus efficere, ut qui Rex eſt Rex non ſit, (quem, Dei ſolius eſt, iudicare) regiamq; illi authoritatem, adimere, ſed quòd populi rebellione authoritatis Regiæ exercitium impediri poſſit.

Finis inſtituendi in Rep. Senatus, eſt idem, qui Conventus Ordinum (neque enim tàm ſpecie quàm ſecundum magis & minus differunt illæ curiæ) Ut non videantur temerè res agere Reges, ſuo ſolum ex arbitrio (quod tamen per ſe niſi divinæ repugnet voluntati ſubditis obedientiæ norma eſſe debet) ſine prudentum conſilio de relligione, bello, pace, commerciis & id genus aliis publicum Regni Statum attingentibus, ſtatuentes, paratiorem namque conciliat Regibus obedientiam bona ſubditorum opinio, quam de illorum non præcipiti adminiſtratione concipiunt, Nequè enim conſcii ſunt Subditi rationum quibus ducuntur in actionibus ſuis Reges; Senatus ergò conſilio juvatur Rex in iis quæ ad relligionem, bellum, pacem, commercia, & id genus alia ſpectant pertractandis; iſta namque, licet etiam in Comitiis pertractari poſſint, non tamen omnia æquè commodè, quandoquidem de eorum nonnullis deliberatio ſecretò facienda ſit, aliquorum conſideratione perturbari ampliſſima Ordinum Regni Comitia non deceat, Quo-

rundam quoque determinationem in generalium Regni Conciliorum tempus differri noceat, Quod ad legum-lationem, ſubſidiorumq; impoſitionem, Eæ nunquam aut rarò a Rege in Senatu fiunt, etiamſi fieri poſſe doceat *Gallorum* conſuetudo, apud quos Senatoria Regis Edicta ſnpremæ Curiæ juridicæ approbationem habentia, legum vim obtinent. Ex dictis inferri poſſet Senatus definitio, ſed priuſquam ea adferatur, de Senatorum virtutibus pauca fari libet : Eæ, a Politicis recenſentur plurimæ, Ex noſtrâ ſententiâ requiruntur duæ, In voluntate ſincerus ſine adulatione erga Regem conſulentem affectus, qui libertate uti eos faciat, ne cum fortunâ potius Regis loquantur quam cum ipſo, Et in Intellectu ad res quæ in conſultationem cadunt perpendendas ſagax abſque ſubtilitate Prudentia, ne ignea ſint eorum ingenia novandis quàm gerendis rebus aptiora; Ut bonum deſcribamus nos Conſiliarium, qui amicè & ſapienter Regi conſulat quæ utraque Conſiliariorum conditio, prædicto in Pſalmo 101. a *Davide* ponitur, ejuſmodi in conſilium adhiberi oportere monente, qui veraces terræ ſint, veraces, qui ex piâ charitate quod eſt in animo vero & non fucato, liberè dicant, & veraces terrę, qui diu in Rep. verſati atque Indigenæ, Regni ſcientes ſint; Adeoquè in Conſiliariis fidem & experientiam deſiderat Dei ſpiritus. *Concilium* autem *Senatumvè* itá definitum accipite, *Conventum* ſciz. *quorundam fidelium & expertorum Regnicolarum a Rege delectorum, ut in publicis Regni negotiis quæ Comitia non deſiderant expediendis opinione & ſententiâ ſuâ Regem Subditorum benevolentiam ſic captantem juvent.* Atque hæc de Senatu.

Nunc juxta ordinem a nobis initiò propoſitum ſequeretur

queretur, de Regum in juris-dictione diſpenſandâ vicariis dicendum, Sed, quia, tametſi in Comitiis aut Senatu, de rebus Eccleſiaſticis ſtatui poſſit, ut a plurimis ſtatutum fuiſſe Regibus teſtantur Hiſtoriæ: In Conciliis tamen, Synodiſvè Eccleſiæ ut ferantur leges Eccleſiaſticæ, non ſolùm conſuetudo, ſed etiam decorum poſtulare videtur, de Conciliis priùs Eccleſiaſticis aliquid dicere neceſſum erit, eoque magis, ut Eccleſiaſticus Regum Primatus de quo non parva eſt controverſia, eluceſcat: Poteſtatem hanc in Eccleſiaſticis νομοθετικὴν poſſe a Principibus jure ſuo extra Concilia exerceri, docent, quas ità tulerunt leges Imperatores, potiſſimùm *Juſtinianus*, qui, niſi quòd pietatis quâdam ſpecie deceptus carnem Chriſti fuiſſe impaſſibilem aliquandiù ſenſerit, ſinceriſſimæ fuit fidei, nec a quoquam præter *Baronium* tanquam jus uſurpans reprehenſus; atque iis Regum legibus Eccleſiaſticis, quæ legi divinæ non adverſantur nequit quis bonâ cum conſcientiâ obedientiam detrectare, quamvis non acceſſerit ad earum conſtitutionem paſtorum Eccleſiæ conſenſus, quia determinent fortè Paſtores, quid fieri debeat, at quid fiet determinare, utque fiat jubere Principum eſt, Illorum eſt conſilium, at horum Authoritas, Quandocunque idcircò dicere non poſſunt quibus mandata dantur, *Melius eſſe Deo parere quam hominibus*, cujuſcunque fuerint conditionis mandantibus Principibus obſequi debent, Nam cum *Chryſoſthomo* aiente *Tu cùm audieris Redde quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, &c. *Illa ſcito eum dicere quæ in nullo pietati nocent*, Affirmamus eſſe Principi parendum in quibuſcunque Principi eſſe ſubjectum, nullum animæ periculum eſt, ut ad *Antiochenos* ſcribit *Ignatius* de *Cæſare* gentili & Idololatrâ Epiſt. 7. Non tamen inficiamur

ficiamur melius eſſe, ut in Eccleſiaſticis ferendis legibus atque imperii Eccleſiaſtici exercitio, Eccleſiæ Antiſtites conſulat Rex, quód & majorem rerum Eccleſiaſticarum habeant cognitionem, & conſtitutionibus ità factis alacriore animo pariturus ſit populus, Quarè Conciliorum naturam nunc examinemus.

De Concilis, ſeu Synodis Eccleſiæ.
Cap. VII.

IMprimis Regum juſſu convocata fuiſſe in ſuis Ditionibus Concilia, ex Conciliorum inſpectione liquet, Provincialia ſivè Nationalia Regibus quibuſque, & Generalia ſeu Æcumenica convocantibus olim Imperatoribus Romanis, ac non ſine exemplo Regum Judæ, ſpeciatim *Ezechiæ*, qui anno regni ſui primo, & Sacerdotes, Levitaſque convenire juſſit, &, congregatis ipſorum ſanctificationem, Templique purgationem imperavit, imo & diem celebrandi Paſchatis de novo inſtituit, 2. paralyp. 29. & 30. Sic oſtendens ſibi ſubeſſe etiam in re Eccleſiaſticâ Sacerdotes ac Levitas, tanquam Eccleſiæ Judaicæ Capiti, Neque enim hæc appellatio a loquendi formâ in Scripturis uſitatâ abhorret, *Saulem* ſic alloquente *Samuele* (.1. Samuel. 15. 17.) *Nonne cùm parvulus eſſes in oculis tuis, Caput in tribus Iſrael factus es*, Inter quas tribus, numquid & tribus *Levi*, Non eſt equidem Rex ſupra Eccleſiam, quá myſticum Chriſti corpus ea eſt, ſed eſt ſupra eam, quà politicum eſt Chriſtianorum corpus; Neque

Neque obſtat, quod dicitur de eſſentiâ, & ratione capitis eſſe ut in ſuum corpus influat; quoniam etiamſi internè ſpectet ad caput ut influat, ſequitur tamen corporis naturam influxus, eoque Eccleſiæ quà extrinſecè regibilis eſt, caput eſſe Principem, cujus extrinſecus ſit regiminis influxus, nihil abſurdi eſt, Et licet teſte Apoſtolo Rom. 12. 4. 5. Omnes tam Apoſtoli, quam Fideles unum ſint corpus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, & sìc omnibus æq; conveniat vt ſint membra ad invicem, & eorum nemo aliam habeat ad alios relationem, niſi membri, ſeu, ut ità dicam commembri; proindè & a Principe excludatur ratio veri capitis Eccleſiæ, quà eſt myſticum Chriſti corpus, Tamen quà externa eſt ſocietas & viſibilis gubernationis reſpectu, In bono ſenſu Catholico, ut loquitur doctiſſimus Archi-epiſcopus *Spalatenſis* hanc eandem examinans quęſtionem, Rex quiſque in ſuo Regno, quę ibidem eſt Eccleſiæ caput dici poteſt. IN convocatione Conſiliorum ſpectantur Jus & Modus, De modo prius, quia breviſſimè, dicendum erit: Quod ergò ad modum, per Metropolitas Comprovincialium Epiſcoporum operâ utentes peregiſſe hoc convocationis negotium Principes, demonſtrant litterę Epiſcopi Romani *Agathonis* ad *Conſtantinum Heraclium*, & *Tyberium*, qui Synodum Conſtantinopolitanam in *Trullo* habitam convocarũt, dicentis ſe *Perſonas quales ſecundum temporis defectum ac ſervilis Provinciæ qualitatem poterant inveniri pro obedientiæ ſatiſfactione inquiſiviſſe, & cum conſilio confamulorum ſuorum Epiſcoporum tam de propinquâ Apoſtolicæ illius ſedis ſynodo, quam de familiari Clero amatores Chriſtiani imperii, & ſequenter de relligioſis ſervis Dei, ut ad piiſſima tranquillitatis imperatoriæ veſtigia properarent*

rent hortatum fuiſſe. Tom. 2, Concil. Conſtant. 6. act. 4. Nam ad Metropolitas olim, & poſteá ad Patriarchas deſtinari ſolitę erant Imperatorum literæ, quibus Conſilia indicerentur, ut, teſte *Bucero*, iiſdem ipſi intereſſent, &, non conſultationi ſolum de rebus ibidem decernendis, ſed etiam Epiſcoporum, Preſbyterorumque qui ipſos comitarentur electioni præſiderent: Quis autem fuerit electionis mittendorum ad Concilia modus, poſteá in cauſæ Conciliorum materialis explicatione oſtendetur.

Eſſe Imperatorum jus Concilia convocare hinc patet, quòd Subditorum, quatenus homines ſunt coadunatio poteſtatis ſit civilis in Rege reſidentis, atque eorundem quá ſunt Eccleſiaſtici, ad Canones edendos Eccleſiaſticos congregatio, curæ ſit Eccleſiaſticæ Regi cuique de Eccleſiæ regimine rationem Deo redditurо commiſſæ, (nam tenemus, ſubeſſe Principis gubernationi perſonas Eccleſiaſticas, etiam quà perſonę ſunt Eccleſiaſticę) quemadmodum, ait *Iſidorus* (lib. 3. Sentent. de ſummo bono) *Principes ſæculi Deo rationem reddituros propter Eccleſiam, quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt, ut ſive augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ, ſivè ſolvatur, a Principus ratio ſit exigenda quorum poteſtati ſuam Eccleſiam credit Chriſtus*. cap. 53. c. 23. quęſt. 5. Malè autem ſibi conſulerent Principes ſi gubernatoriam Eccleſiæ ſibi creditæ curam, Epiſcoporum humeris omnino eſſe impoſitam ſinerent; Imo, Sicuti in Rep. Judæorum non unam *Moſes*, aliam *Aaron*, ſed ex Dei ordinatione utranque habuit tubam *Moſes* ejuſque ſucceſſores. Num, 10. 12 Itá ad Imperatores ſic pertinere Conciliorum non minus quam Comitiorum indictionem exiſtimarunt

ſancti

Wemyss, Sir J.

ſancti Eccleſiæ Primitivæ Patres, ut quæ ſine eâ convocarentur, illegitima nulliuſque eſſe ponderis pronuntiarint teſtante id *Hieronymi* ad *Ruffinum* (qui ſynodi cujuſdam authoritatem objiceret) reſponſo *Doce* (inquientis) *quis Imperator eam juſſerit congregari*, In Apologet. contra *Ruffinum*. Atqui Concilium tenuerunt Apoſtoli Hieroſolymitanum ab Imperatore non indictum; Indè ne ſequitur poſſe nunc Eccleſiæ Antiſtites ſine Regum indictione Concilia celebrare? Quod perſecutionis tempore, quandò non eſſent Imperatores Eccleſiæ nutritii, extraordinariè fecerunt, in Eccleſiæ primordio Apoſtoli θεόπνευστοι, Id ab eorum Succeſſoribus errori obnoxiis ordinariè fieri florente ſub principibus bonis Eccleſiâ jam conſtitutâ, nemo prudens approbarit: Neq; verò Concilium illud erat publicum, ſed paucorum Hieroſolymis reſidentium, ad unanimem Apoſtolorum in doctrinâ conſenſum potius oſtendendum, quam ad aliquid neceſſariò definiendum quod non a ſingulis per ſe Apoſtolis edici potuerit, quorum ſtatuta non a Concilii Eccleſiaſtici ſed immediatæ a Chriſto legationis authoritate robur haberent, Et ſi ab Apoſtolorum temporibus antèquam Chriſtiani eſſent Imperatores Conciliaque indicerent, habita fuerunt ab Eccleſiæ paſtoribus Concilia, ut non niſi volentes iis obligabantur, ità non niſi volentes ea celebrarunt, nam paſtoribus coactivam non habentibus poteſtatem non neceſſariò obeditur, ut-pote qui, ut ait *Hieronymus* (ad *Heliodorum* In Epitaph.) volentibus præſint:

Quod ſi jus convocandi Concilia Regium ſit, Sequitur Primùm Nulla unquam fuiſſe Concilia, quæ propriè univerſalia dici potuerint, quia nullus unquam fuit Imperator cui per univerſum Orbem omnes ob-

temperarint, & cùm nunc imperent ſine *Caſare*, ſpretoque ejus juſſu tanquam Monarchæ Reges plurimi, difficilem eſſe concilii univerſalis convocationem, cujuſque Regis ſubditis ei ſoli de neceſſitate obedire obſtrictis, omnibuſque Regibus, qui ſuos quique convocent Antiſtites rarò ut probabile eſt, unanimiter conſenſuris: Quapropter, in ditione quâque Synodus Nationalis, Æcumenicæ inſtar, ſupremus eſt Senatus Eccleſiaſticus, a quo nulla fieri queat provocatio, quòd ſupremam habeat in ſuâ ditione Rex quiſq; tam Eccleſiaſtici quam Civilis regiminis curam, undè ſi aliquis Metropolitani in Regno quovis Epiſcopi Canonicum contempſerit Judicium Regis (non Papæ) tanquam Æcumenici Epiſcopi judicio condemnandus eſt c. 9. concil. apud palat. vern. habiti. Namque neceſſe non eſt, Eccleſiam Catholicam unum eſſe corpus, cujus unicum oporteat eſſe caput miniſteriale, cùm Eccleſiæ unitas ex unitate capitis Chriſti & fidei dependeat, & ſic, etiamſi unicum ſit corpus myſticum tota Eccleſia, nihilo-minus quin plura complectatur corpora politica ab invicem non dependentia, nihil impedit; Ità ut Eccleſiæ Catholicæ gubernatio, reſpectu Chriſti capitis myſtici ſit Monarchica, Regumque reſpectu, capitum politicorum, atq; Epiſcoporum ſub iis gubernantium Ariſtocratica; ac Eccleſiæ cuiuſque Nationalis, reſpectu & Chriſti & cuiuſque in eâ Regis dominantis, Monarchicum ſit regimen Ariſtocratico per Epiſcopos regendi modo utentis; Ideò autem, olim cœperunt alii Epiſcopi & Eccleſiæ, mandatis ac inſtitutis Eccleſiæ & Epiſcopi Romanorum obedire, quòd fidelibus caruerint Legiſlatoribus, qui eos in ordinem reducerent ac in unitate ſervarent, ut docet *Marſil. Patavin.* defenſ. pac. part 2. cap. 22.

non

Wemyss, Sir J.

Non obſtantibus prædictis, ad purgandam Eccleſiam Catholicam hæreſibus paſſim ab inferno vocatis ſcatentem, optandus eſſet conventus generalis, ex omnium qui Evangelium profitentur ditionum Doctoribus, & prudentioribus Miniſtris communi Principum authoritate congregatis, in quo (ut ait *Zanchius* in ſuâ confeſſione cap. 27. ſect. 39.) ipſis præſentibus Principibus, eorum ſaltem Legatis, Synodumq; per unum aliquem electum moderantibus, de piâ concordiâ, paceque & ſalute omnium Eccleſiarum fraternè e ſacris literis Dei Spiritu deliberetur ad gloriam Dei, & nominis Chriſti, omniumque Electorum ſalutem.

Deindè patet, non eſſe penes *Papam* conciliorum cogendorum jus, niſi fortè ut Metropolitanus aut Patriarcha Romanus, ab Imperatore delegatum, & intrà Imperii limites illud habere poſſet, ut habent apud nos Epiſcopi quique, Concilia diœceſana, & ſi ità Regi videretur poſſet habere Epiſcopus Metropolitanus & Primas Concilii Nationalis ſtatis Temporibus cogendi poteſtatem a Rege conceſſam, quem admodum Concilii *Matiſconenſis*, 2. c. 20. ſtatuitur, *Ut exindè ad Synodum Nationalem poſt Triennii ſemper tempus conveniretur, idque adimplere ſollicitudinis eſſet Metropolitani, Epiſcopi Lugdunenſis, cum diſpoſitione tamen magnifici Principis, locum priùs definientis mediterraneum, ad quem omnes Epiſcopi ſine labore alacres congregarentur*. Et ſi nunc fortè non expreſſo & particulari mandato ipſe ſemper Princeps Synodos ubiq; vocet ipſius tamen authoritate per legem aut conſuetudinem in Eccleſię Præſulem derivatâ vocari eas fatendum eſt, ut quod vendicat Pontifex jure aſcribatur Principi jus indictionis omnium Synodorum aut per ſe eas vocanti, aut lege convocantis Præſulis

præcepto vim impertienti, Quod & declarant *Leonis* Epiſtolæ, quibus Imperatorum authoritatem in Synodorum cùm convocatione tùm moderatione ſupplex ſępius implorat; Atque hęc tam vera ſunt, ut etiam poſtea quam *Papa* ad ſe imperii jura trahens, Concilia convocandi facultatem jam arripere cœperat, non deſtiterint Reges ſui juris memores Epiſcopis aliquandò pręcipere, ut ad Synodos a *Papá* indictas non irent, ut impediit, Romam ire Epiſcopos *Carolus* Imperator, quibus antè ut eò venirent præceperat *Nicolaus Papa*. c. reprehenſibili cauſ. 23. quæſt. 8. Et ex patrum ſententiâ, contrarium hujuſmodi Regis mandatum juſtam miniſtrabat Epiſcopis non euntibus excuſationem, nam Concilii *Agathenſis*, c. 35. ſtatutum eſt ut, *Si Epiſcopus Metropolitanus ad Comprovinciales Epiſcopos Epiſtolas direxerit in quibus eos aut ad ordinationem Summi Pontificis, aut ad Synodum invitet, poſtpoſitis omnibus exceptâ gravi infirmitate corporis, aut præceptione Regiâ ad constitutum diem adeſſe non differant.* Et Concilii *Toletani* 11. c. 15. ſtatutum eſt, *Ut quiſquis Epiſcoporum abſque celebratione Concilii unius anni metas tranſierit, Eccleſiaſticæ cenſuræ obnoxius ſit*, ſcz. *Si nullà eum impediente Principis poteſtate vel infirmitate aut inevitabili cauſa, ſed ſolius propriæ voluntatis libitu ſeſe ad celebrandum Concilium non collegerit.* Sed itá ne ad Principes pertinet convocandi Concilia jus, ut abſque Principum convocatione celebrata non valeant Concilia? Profectò, utcunque Concicilio accidentaria eſſe, & externa videatur indictio ſeu convocatio, & caſu ſine celebrandi Concilii animo convocati Epiſcopi res Eccleſiaſticas & ſpirituales tractare poſſe videantur, Eſſentialis eſt Principis aut indictio ſeu convocatio, aut congregationis Epiſcoporum

Wemyss, Sir J.

coporum approbatio, ſi in eorum conventu Eccleſiaſticæ ferantur Leges, quarum non ſecus ac Civilium conſtitutio a Principis authoritate pendet; Atque hęc de convocante.

Qui ad Concilia vocantur, ſunt Eccleſiæ maximâ ex parte Paſtores, quòd maximè idonei reputentur in rebus Eccleſiaſticis Conſiliarii, Iique non Epiſcopi ſoli, ſed & Presbyteri ac Diaconi quibuscum in Conciliis deliberare Principem nulla impedit ratio Omiſſâ namque Concilii Apoſtolici (de quo, Actor. 15.) conſideratione, teſtatur *Socrates Scholaſticus.* c. 8. lib. 1. hiſtor. Eccleſiaſt. In *Nicænâ* Synodo primâ, non modo Epiſcopos, ſed etiam presbyteros diſceptaſſe ac judicaſſe, & refert *Alexander Papa.* 2. c. ad ſedem Apoſtolicam, cauſ. 35. quæſt. 5. In Synodo habitâ in *Lateranenſi* Conſiſtorio, diſcuſſam fuiſſe quæſtionem de computandis gradibus conſanguinitatis, convocatis ad illud opus non tantùm Epiſcopis, ſed aliis etiam clericis; Et qui conſideraverit Conciliorum Canones præſertim Concilii *Antiſiod.* c. 7. Concilii *Tarracon.* c. 13. Concilii. *Toletan.* 1. initium, Concilii *Toletan.* 4. c. 3. nec non Concilii *Elibert.* & Synodi ſub *Gregorio* habitæ ſubſcriptiones, Conciliorumque *Moguntinorum* Epiſtolas, non modò ut auditores, ſed ut actores interfuiſſe presbyteros & Diaconos intelliget; Imò Laicos ſæpè a Principibus advocatos videre eſt, quibus non modò conſultivam ſed & definitivam permitterent vocem, ut in Synodo *Sueſſionenſi* dicit Rex *Pipinus*, *Se omnia cum Epiſcoporum Optimatumque conſilio & conſenſu conſtituiſſe.* In Concilii *Pariſienſis* ſub Imperatoribus *Ludovico* & *Lothario* habiti Epiſtolâ Cæſariâ, dicunt iidem Imperatores

tores, *Poſtquam Epiſcoporum, & aliorum fidelium ſuorum Conſilio per totum ſuum Regnum generale jejunium celebrare juſſiſſent*, In placito eo *Pariſiis* habito, *Multa alia cum conſultu Sacerdotum caterorumque fidelium ſuorum decreviſſe.* In Concilio *Meldenſi* a pio Rege *Carolo* fœliciter, ut ibi dicitur, ſuccreſcente, congregato, ante caput primum hæc eſt inſcriptio, *Capitula ex conventu habito in villa quæ dicitur Holonia conſenſu Principis & Epiſcoporum ac caterorum fidelium prolata & confirmata.* Et Concilii apud *Theodonis* villam habiti capitulum de calumniâ quæ in Chriſti perageretur Sacerdotes juxta Synodales conſtitutiones plenè determinandâ a *Carolo Magno* & *Ludovico* ac *Fidelibus ſuis* prout ab Epiſcopis rogati fuerant editum & collaudatum fuiſſe ibidem memoratur. Sed quid? Concilia viſenti Eccleſiaſtica tam evidens erit hæc veritas, ut de eâ movere quæſtionem mentis fuerit malitioſè pertinacis, præſertim cúm & *Alexander Papa* dict. c. ad ſedem Apoſtolicam, conveniſſe fateatur in Synodo *Lateronenſi*, non tantùm Epiſcopos ac Clericos, ſed etiam diverſarum provinciarum Judices: Atqui dicet hic ſortè Preſbyterorum non docentium patronus aliquis, Quòd ſi maximis Eccleſiæ conventibus (in quibus ſanciuntur Leges) intereſſe poſſint Laici, quid non in Preſbyteriis (in quibus ſancitæ priús leges particularibus tantùm caſibus applicantur) locum iſti obtinere poterint? quum majus quiddam ſit νομοθεσίας quam δικαιοκρισίας poteſtatem iis concedi; Cui, non eſſe abſurdum agnoſcimus, ut e populo prudentiores adjungantur Paſtoribus συμπαραςάται modo auxiliaris eorum functio pro neceſſariâ non obtrudatur, iique in ordinibus Eccleſiaſticis, conſtituti non habeantur, Equidem eorum eſſe officium

Wemyss, Sir J.

officium Eccleſiaſticum quod temporarium eſſe nil vetat, ſed non eſſe ordinem Eccleſiaſticum cujus eſt character perpetuus, facilè concedimus, neque eorum, tanquam πρεσβύτεροι eſſent inſtitutionem volumus Apoſtolico niti Canone, qui. 1. Timoth. 5. habetur, ex quo forſan colligi poteſt, in primitivâ Eccleſiâ, Preſbyterorum aliquos non fuiſſe ad concionandum aptos, ſaltem paucioribus, quàm eſſent alii, inſtructos talentis, non laborioſis ut alii peragrationibus doctiſque elucubrationibus fuiſſe fidelibus viæ cœleſtis ductores. Sed de hiſce rebus in noſtro de Poteſtate Paſtoritiâ libro. Obſervandum hìc nihilominus in Conciliis generalibus ſolos ut plurimum, adfuiſſe Epiſcopos, non alios Clericos aut Laicos, quód cùm in iis Synodaliter diſcutienda eſſent quæ ab Epiſcopis per ſe perperam eſſe facta conquærerentur alii, a Preſbyteris & Laicis (qui Epiſcopis inferiores eſſent) judicari Epiſcopos non eſſe rationi congruum ſenſerint Imperatores, aut qui Conciliorum cogendorum authoritatem haberent, & quòd Eccleſiarum paſtores præcipuè fuerint Epiſcopi, quibus adjuncti, tanquam adjutores aſſiſtentes, presbyteri, ideò preſbyterorum ſententias antequam ad Concilia iretur diœceſanis in Synodis rogantes, presbyterorum ab Eccleſiis ſuis non diſtrahendorũ vicem ſupplere potuerint; Attamen alios, in Concilium aſciſci potuiſſe ab Imperatoribus non dubitamns, cùm & ipſe fateatur *Bellarminus*. lib. 1. de Concil. c. 15. poſſe, ex privilegio & conſuetudine, presbyteros, nominatim Cardinales, Abbatas & ejuſmodi vocem in Concilis generalibus deciſivam habere, ſi verò de jure eſſet divino, ut ſuffragii jus habeant ſoli Epiſcopi, illud fieri non poſſet quum immutabile ſit jus divinum, &

contrà illud privilegium dari nequeat,

Iſte autem fuit electionis mittendorum ad Concilia modus, ut Eccleſiarum Præſulibus, quos vellent mittendi liberam plerunque poteſtatem permitteret Princeps, quòd illis exploratius quàm ſibi eſſet, qui ad eam provinciam aptiores, non quòd Principi penitùs neganda ſit, vt autumant nonnulli, particularis perſonarum, quæ conſilio eum leges Eccleſiaſticas laturum adjuvent, deſignatio, Iſtud enim eſſet Principum juri detrahere, quos (fatente etiam *Bucero* Regiæ hâc in re poteſtatis adverſario) ſolitos fuiſſe quibus inſtructi donis mittendi eſſent, admonere, & aliquandò mittendorum numerum præſcribere, compertum eſt. Ut plurimum verò, unà cum Epiſcopis (quos omnes ſimpliciter abſque delectu ad concilia vocatos fuiſſe arguit Concilii *Chalcedon.* Canon ità decernens, *Si quis Epiſcoporum Synodo neglexerit adeſſe, aut cœtum fratrum, antequã Concilium diſſolvatur crediderit deſerendum, alienatum ſe a fratrum cõmunione cognoſcat, nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti Synodo fuerit abſolutus.*) Ex ſingulis diœceſibus moderatus aliquis numerus eruditiorũ ac prudentiorum Presbyterorum, Diaconorum, Laicorumq; rerum divinarum & Eccleſiaſticarum expertorum, a Principe aut Metropolitâ Principis delegato eligebatur. Qui ſervatus fuit ordo, ne alioqui Paſtoribus deſtitutæ manerent Eccleſiæ, nam vocem habere qui congregantur presbyteros, non quà presbyteri, ſed quà Eccleſiarum ſunt Legati a Principe vocati dicimus, Neque Concilii nos magnitudinem ex hominum multitudine æſtimamus, quòd ſic, aliquando accideret Nationali majus eſſe Diœceſanum, ſed ex Regionum quæ per delegatos controverſias ſuas ad concilia referunt, & ſuffragantur multitudine: Ubi notandum

Wemyss, Sir J.

dum, Primò, quòd, ſi propter infirmitatem corporis aliâvè de cauſâ adeſſe nequirent vocati, ſoliti ſint principis permiſſu, procuratores antiquitùs mittere ut ait *Agatho Papa* ad *Heraclium* & *Tiberium* Impp. ſe ſecũdum piiſſimam juſſionem manſuetudinis eorum pro obedientiâ quâ debuit *Conſamulos miſiſſe*. Concil. Conſtant. act. 4. Deindè quòd non congregentur multi, quiá infallibilis ſit futura eorum opinio, ut ſomniant Pontificii, quùm fateatur etiam *Leo* Epiſt. 53. ad *Anathol.* nulla ſibimet de multiplicatione congregationis Concilia blandiri debere, ſed ut eos concordes piè magis convenienterq; gubernet princeps, Nam, teſte *Hieronymo* adverſus *Luciferianos*, Nihil tam pium nihil tam conveniens ſervis Dei, quam unitatem ſequi, quamvis non neceſſariò ſemper ſit cum unitate veritas, quin in Concilio maximè univerſali, ut in *Ariminenſi*, nomine unitatis & fidei infidelitas ſcribi poteſt ut loquitur idem *Hieronymus* adverſus *Luciferian.*

FORMAM Conciliorum metiemur moderatione, conſultatione, & definitione, (Eſt enim Conciliorum Forma, conventus, in quo prædictas, moderationem, conſultationem, & definitionem ſpectare poſſumus.) Moderatio penes principem tota eſt, vt Concilia convocandi, itâ in Conciliis præſidendi jus habentem, quemadmodum Concilio *Nicæno Conſtantinum*, *Conſtantinopolitano* primo *Theodoſium* ſeniorem, *Chalcedonenſi Martianum*, *Conſtantinopolitano* ſexto *Conſtantinum*, *Francofurdenſi Carolum* magnum, aliiſque Conciliis, alios præſediſſe Imperatores & Reges ex Conciliis & Hiſtoriis liquet. Quod dicunt quidam duos in Conciliis eſſe præſides, unum ordinis Principem, alium rerum Eccleſiæ Præſulem a Conciliis electum, ſimile penitus

tùs videtur ac ſi dicerent, In Comitiis Reip. pręſidem eſſe ordinis Principem, rerum Reip. Cancellarium a Comitiis deſignatum, quin palam poſteà fiet eodem in Conciliis modo quo in Comitiis moderatorem eſſe Principem, utrobiq; cùm, ut actionem moderetur, tùm ut ſententiam dicat ſermones intermiſcentem, nec ſubſerviente præſulis aut Cancellarii ex ipſius mandato vel lege moderantis actione, ſummum pręſidendi jus amittentem, nam præſul hic etiamſi inter Epiſcopos primas teneat, Imperator tamen, ſummus moderator eſt, ut de *Nectario* qui Concilio *Conſtantinopolitano* primo ſub Imperatore *Theodoſio* præſidebat ſcribit *whitakerus* controverſ. 4. quæſt. 4. cap. 3. Dicimus verò, ut in Comitiis Cancellarium, Ità in Conciliis Epiſcopum Metropolitanum, principis ſi adſit, ejuſvè ſi abſit Legati, interpretem conſtitui & Oratorem, tanquam qui rebus Eccleſiaſticis proponendis, ſententiiſque exquirendis & colligendis (quâ moleſtari operâ principem, ejuſvè Legatum, honorificentiæ Regiæ non conveniret) aptior eſſe deprehendatur, Et precibus gratiarumque actionibus in Concilio obeundis deſtinari Laicum ineptum ſit, & indecorum: Dicentibus itèm, Imperatore quidem in perſonâ præſente, ut ait *Nicolaus Cuſanus*. lib. 3. de concordant. cap. 16. ſemper præſidere Imperatorem, eo autem abſente, Concilii eſſe ſuum eligere præſidem, Reſpondemus principis authoritate regi non minus quã cogi Concilium, ut ſi abſit princeps, non niſi a principe præfectus ejuſvè mandatum vel lege vel literis habens moderari poſſit, Periculoſum enim eſſet inſcio aut invito principe, ut coire ſic commorari licet ad breve tempus ipſius ſubditos: Quamobrem abſentes principes, per ſuos legatos moderati ſunt, ut in Concilii

Wemyss, Sir J.

cilii *Chalcedonenſis* actionibus omnibus pręterquam primâ, in quâ ipſe Imperator moderatus eſt Judices Conſulares moderatores ab Imperatore facti ſunt, nō modo ad violentiam, ut vult *Bellarminus*, depellendam, tanquam Concilii cuſtodes, ſed ad ſententiam, in quâq; re ferendam ut judices, nam, ut ait *Evagrius* lib. 2. cap. 4. δι απο της συγκλητου βουλης εψηφιζαντο: Synodo ſecundæ *Epheſinæ Dioſcorus* ab Imperatore prę ſidere juſſus eſt, ut teſtatur epiſtola Imperatoris ad *Dioſcorum*: Concilio *Conſtātinopolitano* ſecundo pręfuit *Iuſtiniani* juſſu Patriarcha *Conſtantinopolitanus Mena* ut teſtatur illius Concilii actio prima & *Nicenæ* Synodo ſecundæ moderatores ab Imperatore dati ſunt Judices ut ex Cōcilio ipſo perſpicuum eſt. Verùm ut clarius eluceſcat Principis abſentis in Conciliorum moderatione Jus, aſſerimus non agitata in Conciliis fuiſſe ſaltem quæ majoris momenti eſſent negotia, niſi quatenus ea princeps per legatos proponeret, aut patribus deſcripta traderet ut in pręfatione ſynodi *Pariſienſis Ludovici* & *Lotharii* imperio indictæ, dicunt Epiſcopi ibidem coadunati *Breviter ſe & capitulatim annotari curaſſe, qualiter de cauſis ab Imperiali ſerenitate digeſtis, juxta eorundem Imperatorum admonitionem egerint*; Et in Concilio *Aurelianenſi* juſſu Regis *Clodovei* convocato, Reſcribunt ad eum Epiſcopi *ſecundum illius voluntatis conſultationem et titulos quos ille dederit, ea quæ ſibi viſa eſſent ſe definitione ſuà reſpondiſſe.*

Conſultatio ſeu diſcuſſio eorum quæ in Conciliis definienda ſunt, pertinet ad Paſtores ad Concilia vocatos, alioſque omnes qui a Principe principiſve Legato, vel eo annuente, a Præſule communi convocatorum aſſenſione, in diſquiſitionis ſocietatem intro-

K mittantur

mittantur, Nam teſte *Ruffino* lib. 1 cap. 3. Eccleſi. hiſt. In Concilium etiam *Nicænum* Philoſophi & Dialectici Nobiles ad præparationem & diſcuſſionem rerum admiſſi fuerunt, Sed quia ex iis quæ antè in explicatione cauſæ Concilii materialis ſubjectivæ, eorum nempe qui ad Concilia vocantur, iiſq; interſunt, dicta ſunt, quod ſit, quibuſque competat Conſultationis jus intelligi ſatis poteſt, ad Definitivæ ſententiæ poteſtatem tranſibimus.

Definitivam ſententiæ dictionem, ex iiſdem antedictis conſtat Eorum eſſe qui a Principe ſummo Moderatore eos conſulente, vocemque iis deciſivam dante vocantur; Sed hìc diſquiri opus eſt, An definiendi poteſtas ità Principi tribuenda ſit, ut negativam habeat vocem, & propriè is Legiſlator ſit, & qui ad Concilia vocantur illius tantum conſiliarii, Quæ, ut melius ſolvatur quæſtio, explicabimus, quæ dicantur leges Eccleſiaſticæ, Quod ut fiat, Notandum primò eſt, Eccleſiam quà myſticum eſt Chriſti corpus, ac inviſibilis Sponſa humanis non egere legibus ſufficiente Dei verbo, quo fides docetur, juſtitiæque opera, & Eccleſiæ myſticæ membra omnia abſque ullo ſuperioritatis diſcrimine pariter eâdemque ratione Chriſto Capiti unico unita eſſe; ſed quà corpus eſt politicum, & viſibilis ſocietas, non poſſe commodè legibus Politiæ humanis carere, nullâ diù conſiſtere valente ſine legibus ſocietate, etiamſi neceſſarius haud ſit particularis ullus gubernationis modus, gubernationem neceſſariò variante circumſtantiarum diverſitate, ſicuti nullum ſuo verbo præſcripſit Deus, quicquid neceſſarium eſt præſcribens, Propterea non præſcribi legibus Eccleſiaſticis, quæ divino cultui eſſentialia

Wemyss, Sir J.

tialia, & ad ſalutem humanam neceſſaria ſunt, cum hæc ſuper-naturaliter ad homines ſpectent, Eccleſiamque intrinſecùs in ſuâ eſſentiâ, non externum illius ſtatum reſpiciant, quod probat, non abſolutè neceſſaria eſſe Concilia, utpote ſine quibus Eccleſia incolumis in ſuâ eſſentiâ eſſe poſſit, & diù fuerit teſte *Pighio* qui lib. *6*. cap. 10. de Hierarch. Eccleſiaſt. Scribit Conciliorum convocationem *Conſtantini* Magni fuiſſe inventum, nullibi in Scripturis extante de iis celebrandis Dei mandato. Si dicat quis, quæ mandavit Deus pietatis ac juſtitiæ opera, quemque præſcripſit relligioſum fidei cultum, poſſe eadem Eccleſiæ gubernatores legibus præcipere, Reſpondemus, Eccleſiæ legibus non tam ea præcipi, quoniam divinę ſolum authoritatis objecta ſunt, quam eorum quæ jam pręcepit Deus interpretationem dari, inque eorum violatores pœnam Eccleſiaſticam ſtatui; Si etiam opinetur quis, abſurdum eſſe, non contineri in Dei verbo omnia ad Eccleſiæ, quæ Dei domus eſt, adminiſtrationem neceſſaria; Ut ſatis ei fiat, Dicimus, non ideò imperfectum eſſe Dei verbum, quòd relinquatur Eccleſiæ leges de externâ adminiſtratione condendi poteſtas, unum-quodque enim perfectum eſt in quo nihil deſideratur, quod ad eum requiritur finem, propter quem inſtitutum eſt, Scripturæ autem finis, teſte Apoſtolo. 2. Timoth. cap. 3. Eſt perfecta hominis ad ſalutem ſapientia, ad quam quæcunq; neceſſaria ſunt, perſpicuè docet. S. Scriptura, niſi Deum ipſum, tanquam de ſuis parum ſollicitum accuſare velimus; Dicere Dei in Scripturis ſcopum præter eà eſſe, omnia complecti & ſtatuere, quę ab hominibus facienda ſunt Eſſet naturæ legem abrogare, cujus e principiis, & concluſionibus oritur electio boni & mali in ſingulis

quotidianæ vitæ negotiis, quæ ſine particulari Sciptu rarũ directione non eſſe facienda non niſi ſtolidus dixerit; Fatemur, profectò, in Rep. Judęorum non modo Moralia & Cæremonialia, ſed etiam Judicialia, quæ majoris eſſent momenti omnia Deum ipſum ſtatuiſſe, ſed ideò id factum, quòd ante Regis inſtitutionem, quam præceſſit legumlatio peculiari ratione Rex eſſet ipſe Deus, Et ex conſtanti iſtius Reip. ſtatu, dependeret univerſi mundi ſalus, ut indicat facta *Abrahæ* promiſſio. Geneſ. 18. 18. Nec-non Jacobi prophetia, Geneſ. 48. 10. Prætereà Deo placuit per *Moſem* uni Judęorum genti ea omnia particulariter prędcribere, quorum non niſi Canones generales potuerunt a Chriſto ejuſque Apoſtolis dari omnibus vbiq; gentibus, quarum ſtatus diverſi, & mores futuri eſſent: Ex dictis perſpicuum eſt dicendas eſſe leges Eccleſiaſticas, quę de rebus ad externum Eccleſiæ ſtatum ſpectantibus fiunt: Quarum latores eſſe Principes, nec differre a civilibus Eccleſiaſticas cauſæ efficientis ratione, nos hinc monſtrari credimus, Quòd eorum propriè ſit jubere, ac leges ferre, qui non parentes ac legum violatores poſſunt punire, quia legis virtus eſt, ut imperare ſic punire, l. legis. ff. de legib. Ac principum, non paſtorum ſit, legum Eccleſiaſticarum temeratores, juſſiſque Eccleſiaſticis non obedientes plectere, quoniam, non niſi pœna corporea, quæ ab externâ juriſdictione coactivâ procedit, propter Canonum Eccleſiaſticorum tranſgreſſionem poteſt irrogari, ſpiritualem merente cenſuram ſolo legis divinę contẽptu; Atqui ut hæc clariora ſint, animaduertendum eſt paſtorum omnium poteſtatem eſſe ſpiritualem, quâ quæcunque credenda aut facienda eſſe definivit Deus ea ſola aut per ſe ſinguli in concionibus, aut coniunctim

Wemyss, Sir J.

junctim congregati in Conciliis mandare, & in eorundem contemptores ſpiritualiter animadvertere poſſint, Nam cùm ſint Dei Nuncii, nihil ex ſuo dicere debent, & ſi dicant, obedientiam urgere nequeunt; Idcircò ipſe *Paulus* quandò aliquid ſcriberet, quod a Domino non acceperat, addidit, dicere ſe, non Dominum, & ſe præceptum Domini non habere, Conſilium modò dare; Quarè non habent paſtores prætoriam eam poteſtatem, ut eorum conſtitutiones ſub excommunicationis pœnâ ligent, quum ad ſola peccata ſeſe extendat clavium poteſtas, ut patet ex Math 18. Nec miretur quis ſpirituali cenſurâ non puniri Canonum Eccleſiaſticorum contemptores, quia cuius eſt naturæ lex, eiuſdem oportet eſſe pœnam, eòque cùm lex Eccleſiaſtica ſpiritualis non ſit, utpote cuius author ſit homo, non Deus, nec ſpiritualis eam tranſgredienti cenſura infligi poteſt, jus enim humanum ſpiritualis juriſdictionis fundamentum eſſe nequit, ſed ut docet *Gerſon* (de poteſtat. Eccleſiaſt. conſiderat. prim.) poteſtas Eccleſiaſtica ſpiritualis ſecundum leges Evangelicas exercenda eſt.

Sed vt clariùs adhùc innoteſcat Principis jus, materiam Conciliorum obiectivam, ſeu res quę in Conciliis aguntur particulariter conſideremus, Aliæ externum Eccleſiæ regimen ſpectant, quarum determinationes, ὁρισμοι, Aliæ ad Agendarum quos vocant, ſeu Officiorum Eccleſiæ rationem pertinent, & earũ ſunt διατυπώσεις, Aliæ doctrinam attingunt, & harum ſententiæ declarativæ propriè κανονες ſunt, Aliæ demũ ad criminum diſſidiorumq; dijudicationem referuntur, & αντιλογιαὶ dicuntur ; Quòd ad ορισμȢς quia de rebus fiunt adiaphoris Eccleſiæ diſciplinâ & gubernatione,

Itèm quo-ad διατυπωσεις, quia Officiorum Eccleſiæ, modo in iis nihil ſit quod analogiæ fidei contrarietur modus etiam ἀδιαφορος eſt, a Principe Eccleſiæ Paſtores conſulente prȩſcribi poſſe affirmamus; Proindè ad eundem pertinere judicium de cauſis, ad ορισμȣς & διατυπωσεις relationem habentibus, cum eidem competat judicium, cui imperium, nulla eſt dubitandi cauſa: Hìc tamen non parùm dubitant multi; primùm, An humano ſubiiciatur arbitrio Eccleſiæ regimen, Verùm, cùm ſit res politica, cuius obſervatio in Eccleſiâ mutationibus obnoxiâ, vt immutabilis ſit, vix poſſibile eſt, humani eam eſſe juris quid impedit, teneamus, Non enim obſtat, quod Apoſtolorum fortè πραξει, illius ſpecies aliqua confirmetur, quia etiamſi & lege ab iis mandata fuiſſet, non tamen obſervanda neceſſariò eſt, niſi prohibitam eſſe eius mutationem probetur, quòd nec Dei ipſius leges omnes poſitivæ immutabiles fuerint, urgente Cȩremonialis legis abrogationem, finis propter quem lata eſt, exſpiratione, & ut judiciali maximâ ex parte derogaretur, ſuadente mediorum eâ prȩſcriptorum ad finem aſſequendũ, propter circumſtantiarum diverſitatem ineptitudine.

Solam eam eſſe immutabilem & neceſſariò obſervandam dicimus legem, quȩ ſubiectum conſiderat cui fertur ſivè ſit homo, ſivè cœtus ſimpliciter quà homo eſt, aut cœtus, et cuius eſt ratio communis, id eſt, in quâ ſpectatur ratio abſolutè ſecundùm naturam ipſius in ſe rationis: Quoniam ſic, idem permanet ſubiectum, & immutabilis æquitas cõmunis; Quæ verò lex, ſubiectum conſiderat quà ſeparabilibus ſubſtat accidentibus, & in quâ rationem particularem, putà ſecundum modum rerum in quibus occupatur, adhibet legiſlator, pro ſubiecti ſecundum hȩc mutatione, &

cam

eam eſſe mutabilem: Ità ut ſi quæ reperiantur in Dei verbo leges de Eccleſiæ politia, immutabiles ſint eæq; Eccleſiam ſimpliciter abſque particulari ad præſentem tunc temporis Eccleſię conditionem reſpectu cō ſiderent, ſed qnæ apoſtolicis accōmodatæ temporibus, mutato pro temporis, locorum, factorumq; cir cumſtantiis Eccleſiæ ſtatu mutabiles fiant, Quamob rem, ità exigente Eccleſiæ ſtatu, (quem pro neceſſa riâ circumſtantiarum diverſitate variari neceſſe eſt) mutari poſſe receptâ regiminis formam cur negemus ſi ıtamque obſervata œconomiâ Eccleſiaſticâ generali verbo Evangelii definitâ ſacri conſerventur Ordines, & qui in iis conſtituti ſpiritualem verbi, ſacramentorum, & cenſurarum adminiſtrationem habere permittantur, quis imponatur a Principe gubernationis modus, quęvè ſtabiliatur œcònomia ſpecialis, non ità Eccleſię, ejuſq; ſalutis intereſſe arbitramur, ut pro eo ſciſma faciendum ſit, putantes cum Sereniſſimo noſtro Rege, ſummis quibuſq; conceſſum eſſe imperantibus, externam in rebus Eccleſiaſticis regiminis formam ſuis pręſcribere, quæ ad civilis adminiſtrationis quàm proximè accedat, dummodo a fidei veræquè relligio nis fundamentis nè tantillum abſcedat: Quod ſi noſtram de Eccleſię per Epiſcopos regimine opinionem roget quis, Ut de illorum ſupra reliquos presbyteros eminentiâ, quę quoad partes principales a principis ſummi Eccleſię Rectoris cōmiſſione pendet, qı od ſentio breuiter dicam, idq; juridicè magis quàm Theolo gicè, quòd quæ contra Epiſcopale ϖρατειον adferuntur, in tractatu de Poteſtate Paſtoritiâ exquiſitè' examinarim, Aio, etiamsi Epiſcoporum nunc κατ-ἐξοχην dictorum, & presbyterorum eſſet idem ordo ſacer, idemq; propter eà quoad ſpiritualem cùm ordinis, tùm

 juris

juriſdictionis poteſtatem, gradus, Indè minimè ſequi, non poſſe illis aliquam ſupra hos gradus. προτιμησιν quoad exercitii dictæ poteſtatis circumſtantias committi, Cùm Principibus, vt poſteà dicetur, & quoad mores, & quòd ad functionem, ſubiiciantur Miniſtri quid vetat Epiſcopis vt conſtitutis ex Eccleſiæ Conſilio Eccleſiaſticis Principum delegatis, eoſdem ſubiici Miniſtros, Nam ſi dicatur, juris ſìc humani eſſe illorum πρεσβειαν, Advertendum divino eam niti jure, quod Principibus delegantibus eandem primariò dat; Eccleſiaſticam verò in αδιαφοροις poteſtatẽ δικαιοκριτικὴν a Principibus poteſtatem in iis νομοθετικὴν habentibus derivatam, quis Epiſcopis præcipuis Principum in νομοθεσια aſſeſſoribus, tanquam eorũdem in δικαιοκριτια vicariis publico Eccleſiæ conſenſu approbatis deneget? Quòd Apoſtolorum tempore & immediatè id ſequente ſæculo communi Paſtorum ſententiâ ισοκρατικως gubernata fuerit Eccleſia, & ordinis tantum eaque per vices obtinuerit προεδρια; Si omnimodam propugnantibus Paſtorum paritatem illud concederetur: Ubi Epiſcopos non conſtituerent Apoſtoli, Epiſcoporum ipſi fungentes vice, & ex defectu Principum qui ſibi competentem Eccleſię curam in ſe ſuſciperent, proveniſſe, vero propius eſt, quam ex ullâ aut Dei & Apoſtolorum inſtitutione aut neceſſariâ nec immutandâ regiminis Eccleſiaſtici conditione, quod & a D. *Bezâ* notatum, cap. 5. confeſſ. artic. 32. ex *Cypriano* aiente Epiſcopum, ex Presbyterorum ſententiâ Eccleſiaſticâ rexiſſe Politiam, præſertim quòd per id tempus Eccleſiæ a Magiſtratu non adjuvarentur; Neceſſe enim fuit Paſtores ſuadendi habentes, non imperandi jus, tanquam collegas ισοτιμους & ισοκρατας communibus omnia ſuffragiis agere, uſq; dùm voluntariâ reliquo-

rum

rum ceſſione in quoſdam collata. fuerit αδιαδοχος προϛασια, quam deinceps in Eccleſiâ Principes nactâ Nutritios honoris ac poteſtatis inæqualitatem conſtituere valentes conſtanter obſervatam fuiſſe Hiſtoriæ evincunt: Sed cùm profiteantur qui contrà ſentiunt, Apoſtolos viroſq; Apoſtolicos ob extraordinaria ſua χαρισματα Epiſcopalem Eccleſiæ gubernandæ modum, ubicunq; eſſent exercuiſſe, quid impedit, quominus confiteantur potuiſſe poſt Apoſtolica tempora ſupplentibus χαρισματα legibus, eundem in Præſulibus gubernandi donis inſignioribus continuari; ut abſque erroris metu aſſerendum videatur, debere, ſi cõmodè poſſit non modo poteſtatem gubernandi Apoſtolicam (quæ eſſentialis eſt, ait *Bucerus*, & perpetua) ſed ejuſdem quoq; poteſtatis modum (qui in ſe αδιαφορος eſt) in Eccleſiis vigere, niſi aliquo Scripturæ teſtimonio quod nullibi hactenus eſt repertum, prohibeatur præſertim cùm eò præſtantior ſit gubernatio magiſq; ſervandę untati faciat, quò propiùs ad Monarchiam accedit, nam et in Rebuspp. Democraticis conſtituuntur a populo Iudices & magiſtratus, qui ſingulis e populo ſecundum leges imperent, & jus dicant: Prætereà ſciendum eſt, etiamſi reſpectu εξουσιας διακονικης iidem ſint Epiſcopi & Presbyteri, tamen illis ampliorem poſſe & liberiorem committi quàm his εξουσιας uſum, ut pro majori χαριτος menſurâ ad ſciſmatis & αταξιας remotionem intendatur εργου ſeu πληρωσεως διακονιας libertas, Neq; enim abſurdum eſt poteſtatem Paſtoralem tàm ordinis quàm juriſdictionis ab Eccleſiâ augeri vel minui extenſivè, non admittente eâ intentionis auctionem vel diminutionem, quãdoquidem immediatè a Deo ſit. Dubitatur deindè quomodo poſſit Princeps per ſuas διατυπωσεις in officiorum for-

mulis ſacras inſtituere Cæremonias, quę divinæ non humanæ inſtitutionis eſſe videntur: Equidem in rebus ad ſalutem neceſſariis ac Cæremoniis divini cultus ſubſtantialibus valet negativum a Dei verbo argumentum (nam ſubſtantialia certè cultus diuini ſolo Dei in ſcripturâ præſcripto niti oportet) Non in rebus adiaphoris, ordinis ac decori vel ſignificationis cauſâ inſtitutis, & circumſtantialibus in cultu divino cæremoniis, quæ ex Eccleſiæ ſecùndum communem æquitatem determinantis conſtitutione robur habent, & non, ut res ſubſtantiales, ubique eædem eſſe debent aut poſſunt, quòd, teſte D. *Calvino* lib. 4. Inſtit. cap. 10. artic, 30. a temporis conditione pendeant, & pro cujuſque gentis moribus accommodandæ ſint, Idcircò quæ τακτικαὶ tantùm ſunt, & ordinis ſeu decori cæremoniæ, ac ſi μυστικαὶ fortè appellandæ, quibus tantum ſignificatur officium aliquod morale a nobis præſtandum, poſſunt humanitùs inſtitui, quòd ad judicialem de acccidentalibus cultus divini circumſtantiis legem referantur, non quæ myſticæ, doctrinales & cæremonię ſigilli ſunt, gratiam a Deo promiſſam obſignantes ac ὀργανικῶς conferentes, vel quæ typicæ ſunt, quòd ad cæremonialem de Dei cultu ſubſtantiali legem ſpectent, atq; ità ab homine σημεῖα a Deo ſolo σφραγῖδες & typi inſtitui poſſunt, Neq; enim cultus interioris aut exterioris partes ſunt humanitùs inſtitutæ cæremoniæ, ſed circumſtantiarum in exteriori cultu, interiorem excitantium aut teſtantium determinationes, & non propter ſanctitatem ullam operativam, ſed tantùm ſignificativam ſacræ dicuntur; Quòd autem humanitùs inſtitutę fuerint in Eccleſiâ, etiam non corruptâ huiuſmodi cæremoniæ accuratè probat D. Epiſcopus *Ciceſtrienſis* in ſuâ Cęremoniarum

niarum

25243

niarum *Anglicar.* defenſione. At licet in ſe forſan *a*diaphoræ ſint hæ res, ſubditorum tamen nonnullis divinæ voluntati contrarię videntur, qui ideò iis utentes renitente conſcientiâ, & non ex fide, Divo teſte Apoſtolo Rom 14.23. peccabunt, Reſp. breviter, publicâ Principis authoritate regenda eſſe privata ſubditorum judicia non rationibus demonſtrativis ſed probabilibus tantùm argumentis nixa, Adeòque in hujuſmodi caſu, definiente contrà noſtram opinionem Principe, Noſtrum eſt, uſque dùm aliter definire ei viſum fuerit, aut clariùs nobis revelarit Deus, illius legi morem gerere, nam, ut ait D. *Tilenus*, In notis ad cap. 11. lib. 4. *Bellarm.* de verbo Dei. non eſt liberum aut licitum, receptum in Eccleſiâ Ordinem ac morem Scripturæ, non repugnantem, privato cujuſquam arbitrio auſuque petulanter perturbari; Quod dicitur, agere eum contra conſcientiam, & non ex fide, qui legi alicui non plenè ſuo judicio approbatæ paret, dubium eſt, Nam præterquàm quòd accedens publica authoritas, quoad negotia antè dubia hanc in nobis operari debeat perſuaſionem, Deo ſcilicet placere, ut quod Regis ſtatuitur ſententiâ, a nobis non aliam valentibus ex Scripturâ Dei voluntatem evidenter eruere, abſque ſcrupulo fiat, ut proinde ex fide ſit obedientiæ actus, etiamſi rei præceptæ non innoteſcat utilitas, præthereà, inquam, quùm conſcientia pręſupponat ſcientiam, (quæ non eſt conjecturalis ſed certa cognitio) quicquid mandati ſuperiorum poteſtatum virtute contra noſtram non ſcientiam ſed opinionem fit, contrà conſcientiam fieri minimè dicendum videtur, Ut ut ſit, miſeranda eſt ejus conditio, qui διακρινόμενος aliquid facit ſivè legi pareat, ſivè non pareat, nam non parendo peccat, & licet parendo

do non peccet, tamen quòd διακρινόμενος pareat, peccat, cui propterea, ut meliùs informetur ipſius conſcientia ſeriò ſtudendum eſt. Ergò nemini ex ſubditis permittenda eſt ob ſuam dubitationem contradicendi & non obediendi Regis legibus licentia, ne, ſi ſubditorum cujuſquam ſubmittantur arbitrio, nullus ſit controverſiarum finis, omniſq; in Eccleſiâ ordo tollatur: Nam, vt antè obſervavimus, legibus parendum eſt, non quià juſtæ nobis videntur, ſed quià leges ſunt ab authoritatem divinitùs habente proficiſcentes; Ut plura hìc nō dicantur de Cęremoniis, reliquiſq; divini cultus circumſtantialibus, liti de iis omni finem imponere debet iſtud, Contentioſorum, ſi qui eſſe videantur, voluntati reluctari Eccleſiarum Dei συνήθειαν. 1. corinth. 11. 16. de quâ benè doctiſſimus D. Epiſcopus *Elienſis*. Unum verò reſtat dubium, Cùm nullam Eccleſiam alterius obliget συνήθεια habente ſummo Eccleſię cuiuſque Rectore poteſtatem ex eiuſdem conſilio quā velit conſuetudinem invehendi & obſervandi. Quam nimirùm vim habeat Eccleſiarum ferè omnium conſuetudo? Doctorum eſt opinio, non ligare particularem alicuius Eccleſiæ, univerſali reliquarum Eccleſiarum conſuetudini repugnantem, quòd turpis ſit pars omnis toti non congrua, Tamèn haùd audemus Nos sìc opinantibus aſſentiri, jus omne, ſcriptum, ſivè non ſcriptum (ſi de re ſit adiaphorâ) ubicunque ſit, probantes, etiamſi illud ferentis aut invehentis eſſe non negemus, cum univerſali ac antiquâ Eccleſiarum praxi quæ ab Apoſtolis inchoata videtur conformitatem ſectari, magis vt inſolentiæ vitetur accuſatio, quam quia Eccleſiæ univerſalis pars eſt quæq; particularis inter quas admitti nequeat incongruitas, Eccleſia namque univerſalis tametſi quoad formam internam, utque

eſt

25243

eſt corpus myſticum, unum ſit totum cuius partes ſũt omnes Eccleſiæ particulares, nihilominus quoad formam externam, vt eſt corpus politicum, non eſt unum aliquod totum, ſed ex pluribus non partibus abſolutè, ſed in ſe totis aggregatum quid; Ideòq; è in fide neceſſe eſt, non in politia conformes ſint omnes ubique Eccleſiæ, ut pote quarum omnium unus in fide legiſlator, ſed plures in viſibili regimine ſint Rectores, ſicuti ſuprà obſervatum eſt, vt cum D. *Auguſtino* concludendum ſit *Quod neque contrà fidem neq; contrà bonos mores injungitur, indifferenter eſſe habendum & pro eorum inter quos viuitur ſocietate ſervandum.* c. illa autem. diſtinct. 12. Decret.

Sequitur de Principis poteſtate quoad Canones ſermo fiat, Nimirum, An ad Principem pertineat regulas de Fide dogmaticas ſtatuere, eique de cauſis fidei deferri poſſit judicium? Volunt inſignes quidam inter Theologos, eam definiendi poteſtatem ſolis Paſtoribus, Eccleſiarumquè delegatis credi, & non niſi ſingulari Synodi conſilio, quod vocationis inſtar ſit, iſti operæ adhiberi Principem, eiuſvè delegatos, hâc freti ratione quam firmiſſimam putant, Quòd nemo publici Miniſterii munia obire poſſit, niſi cùm iſta legitimæ vocationis jure obvenerunt, Agere autem in Conciliis ſcripturæ ac voluntatis divinæ interpretem ſit publici Miniſterii munus obire; Sed contrà, nos, Principis poteſtatem tenemus non miſeram eſſe pernitioſamque ſervitutem, quâ ad Eccleſiæ nutum credere, & ſubditos ad credendum cogere, ſaltèm in recuſantes gladium ſtringere teneatur, (quam quis non videat conſervatricem eſſe Papatus cauſam, ut ejuſdem fuit promotrix Principum in curâ relligionis negligentia, eam Eccleſiæ Pręſulibus relinquentium.)

Sed νομοθετικὴν & δικαιοκριτικὴν quibus non modo, ut omnes fideles privati, apprehenſivo & diſcretivo judicio, ſed etiam definitivo ac decretivo, ex Paſtorum Eccleſiæ conſilio juxta Dei verbum de fide ac relligione, cauſiſque ſacris ſtatuere & judicare poſſit; Nam Principum eſt veram relligionem defendere, & falſam oppugnare; Miniſtri ſunt Dei ſubditis in bonum. Rom. 13. 4. maximè, procul dubio ſpirituale; hùc omnia vel *Cicerone* teſte, Epiſt. 1. ad Quint. frat. ab iis referenda ſunt, ut qui eorum in imperio erunt, ſint quàm beatiſſimi, quum Philoſophorum teſtimonio Politiæ finis ſit ſummum populi bonum; Quæ iis incumbit corporalium cura ad æternum dirigitur finem, nam ſi ſolum vita animalis eiuſque bonum a Principibus curaretur, pecudum, non hominum haberent adminiſtrationem: Curare debent teſte *Ariſtotele*, ut omnes faciant officium, ut Juriſconſulti, ut Medici, ut Ruſtici, ut Pharmacopolę, inter quos etiam numerare poſſumus, ait *Petrus Martyr*. Tom. 1. loc. commun. claſ. 4. loc. 2. Miniſtros & concionatores; Et quemadmodum reſpondit *Cardinalis* quidam cùm peteretur quid potiſſimùm curare deberet princeps, Non bonum corporis ut Medicus, non animi ut Theologus, non fortunæ, ut Juriſperitus, Sed hæc ſolus univerſa curare debet princeps: Iſta verò omnia qui facere poterit princeps, niſi de relligione ac fide judicium habeat hominumque in cauſis fidei ac relligionis Judex ſit, cui etiam miniſtri, & quoad mores & quoad functionem, ut ait idem *Martyr*, ſubjiciantur, Neque enim licet Regibus Diis terrenis affingere, & tribuere aut inutilem ſine coercitione de ſubditorum relligione curam, aut imprudentem ſine cognitione relligionis defenſionem,

libidini

libidini paſtorum tyrannicæ implicitâ fide mancipandam, ac ſi Reges, non Legiſlatores, ac Judices, ſed apparitores, atque, ut ſalvâ Regię Majeſtatis reverentiâ loquar, carnifices Eccleſiæ eſſent. Neque verò hinc putet quis, rebus fidei ac relligionis, vim ac robur largiri Regias conſtitutiones, ſed, ut vim roburque ſuum apud homines habeant efficere, & hoc eſt quod dicitur Principes non eſſe ſupra res Eccleſiæ myſticæ; Neque colligat, competere, ſecundum nos, Principi, eam quæ eſt in exercitio Eccleſiaſtico ſpirituali poteſtatem miniſtratoriam, quæ Eccleſiæ paſtorum ad id muneris conſecratorum propria eſt, ſed conſiſtentem in imperio, ac moderatione Architectonicam, quæ ut Eccleſiaſticum non minus quam Civile bonum curat, ità utriuſquè tàm Eccleſiaſticæ, quàm Civilis poteſtatis actus externos ad finem illum bonum dirigit; Neque tandèm inferat politicæ diſciplinæ miniſtram eſſe ſacram Theologiam, illique ſubalternam, Non enim ex eo quod Theologo imperet princeps, politicæ ſubalternatur Theologia, quia poteſt eſſe ſubiectio perſonarum quoad operationem, ubi nulla eſt ſubalternatio Artium aut poteſtatum, & contrà, ut politicæ non ſubalternatur ars ſutoria, cuius artifex ſub imperio politiæ principis eſt; ac Arithmeticæ ſubalternatur Muſica, quùm tamen Muſico non imperet Arithmeticus; Atque ſubiectum quodammodò idem habent diſciplinæ ſubalternę neque in modo conſiderandi, neque penitùs in re conſideratâ diſcrepantes, ſed eodem modo eandem rem cum additione conſiderantes, differunt autem genere Sapientia Theologica, & prudentia politica; Quarè etiamſi Theologo imperet politicus ſecundum νομοθετικὴν & ἐπιτακτικὴν ſuam poteſtatem, tamen non eſt Sapien-

pientia ſub imperio prudentiæ, ſeu, ut loquitur *Ariſtoteles*. lib. 6. *Æthic.* Φρονησις ȣ χρηται σοφια, ἀλλ᾽ ὁρᾷ ὁπως γινηται, καὶ ȣκ εκεινη αλλ᾽ εκεινης ενεκα ἐπιταττει.

Ad rationem, quæ adverſus Principis in Fide judicium allata eſt facilis eſt reſponſio, Quoniam duplex eſt interpretatio doctrinæ, ac de cauſis doctrinæ ac fidei judicatura, Eſt una directiva ac υπηρετικη ſeu miniſterialis in ſuggeſtu, eſt alia decretiva ac δεσποτικη ſeu imperialis in ſenatu, Illa Paſtorum eſt, hæc Principis, ad hanc Princeps, ad illam Paſtores vocantur; Neque enìm Principi neganda eſt δεσποτικη omnis circa ſpiritualia poteſtas, Fixum quidem eſt illud Apoſtoli Jacobi, Epiſt. 4. 12. Ενα ειναι τον νομοθετην τον δυναμενον σωσαι και απολεσαι, Deum propterea ſolum, Dominum agnoſcimus qui in verbo fidem prę̈ſcribat, & Dei Spiritum, Judicem infallibilem, qui ſecundum illud verbum in conſcientiis de fide decernat, verbumque illud Dei interpretetur, (is namque ſolus, Judex eſt & interpres infallibilis qui legem tulit,) Nihilominus extrinſecam agnitæ ex Dei verbo fidei profeſſionem præcipere, inque eâ errantes, judicio non Eccleſiaſticæ Paſtorum, ſed ſpirituali ipſius Dei determinationi ſubordinato cohibere poſſe Principem audacter aſſirmamus: Atqui Principis κυρωσις δεσποτικη non ad Synodicam actionem, & definiendi in Concilio poteſtatem pertinet, Paſtorum Eccleſiæ eſt κρισις iſta Synodica, cui ſupervenit & ſuccedit illa Principis επικρισις ad externi tantùm ordinis conſervationem adhibita; Equidem, Paſtorum κρισει .1. opinioni fatemur ſuccedere Principis επικρισιν .1. approbationem, & Principem, ut apud *Græcos* dicitur Patres, Επι σφραγιζειν τα κεκριμενα, & κρισιν συνοδικην αυτοκρατορικη κυρȣν επικρισει, Sed, ut in Comitiis Regni

procerum

procerum, ità in Conciliis Eccleſiæ præſulum κρισει nihil definiri, aut in legem evadere, niſi principis accedat ἐπικρισις, negativam, ut dictum eſt, vocem habentis, ut ſi paſtorum κρισις principi diſpliceat, & huic videantur illi a veri rectiq; limitibus aberraſſe, repeti συζητησιν & judicaturam imperare poſſit princeps nec deſinere, sìc πασαν, ut aiunt, φωνην ἱεναι donec bona cauſa per media legittima vicerit, Quod, aliud, quæſo, quid eſt, quàm Conſultivam habere vocem paſtores tanquam juris divini Conſultos, definitivam habere Principem ut Judicem, dante illis Conſilii, his Judicii poteſtatem Legiſlatore Deo, penes quem ſolum ſumma in ſpiritualibus imperii reſidet; Quod præterea, adfertur immotum eſſe αξιωμα habere neminem in Synodis definiendi jus prȩterquam donis inſtructū, sìc ſolvimus, admittendo principi incumbere ſtudium cognoſcendi veram relligionem Sacris literis comprehenſam, ut Juris Divini peritus ſit, Sed propterea, ſi donorum defectu non poſſit, vt debet, de relligione judicare, ei non tribuendam eſſe poteſtatem, negando, quandoquidem, cauſa poteſtatis non ſit facultas ſeu habitus, ſed officium ac munus, etiamſi habitus ad poteſtatis exequendæ perfectionem deſideretur, alioqui eâdem ratione, Rex facultate judicandi in civilibus carens civilem non haberet authoritatem; Adhæc ſi infallibiliter judicandi facultas in Judice cauſarum ſpiritualium, neceſſariò præſupponenda ſit, Nec Epiſcopos poſſe eſſe judices, & ità nullam dari juriſdictionem, in ſpiritualibus Eccleſiaſticam, ponendum erit: Quarè abſque ulteriori huius quæſtionis examinatione, Non conentur homines, Deo eſſe, ut ità dicam, prudentiores, qui Principem ut ſuum Miniſtrum ad hoc vocavit, ut omne bonum ſubditorum curet, cui

M ideò

ideò de omni bono judicium dedit ex Conſilio certè Eccleſię paſtorum juxta Sacras Scripturas quarum divinitùs conſtituti ſunt Nuncii, prudenter adminiſtrandum.

Quòd autem principes facto exercuerint quam diximus δεσποτικην in Eccleſiaſticis κυρωσιν Eccleſiæ Concilia perlegenti res erit indubia, In quibus quæ contigit agitari negotia, ſi non intereſſet princeps, perfectè terminata non fuere, priuſquam a principe approbarentur, Ut in concluſione Synodi *Arelatenſis* aiunt Epiſcopi *Ea quæ emendatione digna perſpexerint, quàm breviſſimè ſe annotaſſe, & domino Imperatori præſentanda decreviſſe, poſcentes ejus clementiam, ut ſi quid illic minus eſſet, ejus prudentia ſuppleatur, & ſi quid ſecùs quàm ſe ratio haberet, ejus judicio emendetur, ſi quid rationabiliter taxatum eſſet, ejus adjutorio divinâ opitulante clementiâ perficiatur*; In præfatione Concilii Moguntiaci, profitentur Epiſcopi, *Se valdè indigere Caroli Imperatoris adjutorio, atque Sanâ doctrinâ, quæ & eos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea quæ paucis in eo concilio perſtrinxerint capitulis, ab ejus authoritate firmentur, Si tamen ejus pietas ità dignum eſſe judicaverit & quicquid in iis emendatione dignum reperiatur, ejus magnifica Imperialis dignitas jubeat emendare, ut ità emendata iis omnibus, & cunctæ Chriſtianæ plebi ac poſteris proficiant ad vitam & ſalutem*, In fine Synodi *Moguntinæ* ſub Rege *Ludovico* habitæ aiunt Epiſcopi reliquiuſque Clerus, *Quæ Regi tranſmiſſa ab iis eſſent petere ſe, ut ejus authoritate firmentur, & ſi quis adverſarius illis exiſtere voluerit prævalere non permittatur, Dei enim cooperatorem eum eſſe debere, & adjutorem ſanctæ ejus Eccleſiæ, quatenus relligio Chriſtiana incontaminata temporibus Regni ſui uſq; in finem, ſervetur*, In Epiſtolâ

quæ

quæ habetur ad finem, lib. 2. Concilii *Pariſienſis*, ſcribunt Epiſcopi, *Iuxta parvitatem ſenſus ſui prout brevitas temporis permiſit, ſecundum ſanctam devotionem & ordinationem Imperatorum* Ludovici *&* Lotharii (ad quos ſcribunt) *Se de cauſis ad relligionem Chriſtianam ſuumquè Miniſterium atq; Periculum pertinentibus, nec non & de his quæ ad ſuam correctionem & emendationem pertinere perſpexerunt, ſive de his quæ populis generaliter annuntianda & admonenda providerunt, capitulatìm in præcidentibus annotaſſe libellis, atq; Imperatorum ſerenitati legenda & probanda obtuliſſe*; In *Cabilonenſ.* Synodo 2. Convenientes imperante *Carolo* Magno, Epiſcopi & Abbates aiũt *Se de quibuſdam rebus in quibus emendatio iis neceſſaria videbatur, quædam capitula eidem Domino Imperatori præſentanda, & ad ejus Sacratiſſimum judicium referenda adnotaſſe, quatenus ejus prudenti examine ea quæ rationabiliter decreverunt confirmentur, Sicubi minus aliquid egerunt illius ſapientia ſuppleatur*, Initio *Turonenſis* Synodi 3. Injungente *Carolo* congregati Epiſcopi Abbates & venerabilis Clerus dicunt *Pro parvitate ſua, pauca quæ ad tantum opus* (ſcz. ad pietatem & veram relligionem) *pertinere animadverterunt, & quæ ſecundum Canonicam regulam emendationi indigent diſtinctè per capitula annotaſſe, Sereniſſimo Imperatori ſuo oſtendenda*, ac in ejuſdẽ fine aiunt ſe, in conventu illo ſuo, *Ità ventilaſſe omnia vt quomodo deinceps piiſſimo Principi ſuo de his agendum placebit, illi fideles ejus famuli libenti animo ad nutum & voluntatem ejus parati ſint*; In Synodo *Nicanâ* 2. Congregati *Tharaſius* & Epiſcopi aiunt, in ſuâ ad Imperatorem *Conſtantinum* & *Irenem* matrem Epiſtolâ, *Se fratres quoſdam & Comminiſtros ſuos Dei amantes Epiſcopos, & cùm his Præſides & Clericos miſiſſe, vt omnia quæ inter eos acta ſunt ad divinas aures Imperatoris re-*

nuntient, atq; ad conſignationem & majorem certificationem eorū quæ ab iis decreta ſunt, & quò majeſtati Imperatoriæ piiſſimè ſatisfiat, authoritates quaſdam Patrum ex multis paucas ſubnexuiſſe ſe referunt *quarum ſplendore veritatis ſtabilimentum elucidari magis poſſit*; Item cœtus venerabilium præſulum & relligioſorum Sacerdotum apud *Aquas-grani* juſſu Cæſaris *Pipini* Synodaliter coactus, ob honorem ſanctæ Dei Eccleſiæ procurandum & dignitates Eccleſiaſticas ad priſtinum nitorem, Domino opem ferente revocandas, ſub finem libri .3. illius Concilii ſuppliciter flexiſq; poplitibus, Imperatoriam ſe excellentiam flagitare aiunt, *Ut opuſculum illud* (Cō cilii nimirum libellos ab iis digeſtos) *Imperatoriæ Celſitudinis obtutibus ſit gratum & acceptum*, Tandem in Synodo *Dordrechtanâ* (cujus membra omnia Remonſtrantium adverſus Synodum proteſtationem non cenſuerunt admittendam, quòd Illuſtriſſ. DD. Ordd. Generales ea impeteret, qui Synodum convocarint eiq; poteſtatem fecerint controverſias cognoſcendi, & ſecundùm Dei verbum, dijudicandi) Fratres *Bremenſes* in Septimâ ſuâ contrà proteſtationem ratione *Poteſtatibus* inquiunt, *Summis nullum præjudicium adferimus aut quicquàm præſcribimus, ſed Earum pietati, prudentiæ, & æquitati, diſpoſitionem, approbationem, improbationem, & executionem ſecundùm ipſarum conſcientiam permittimus.*

Quæ cùm ità ſint, Ad Principes tanquam ſupremos Gubernatores ſpectare moderationem, non honorariam ſolùm, ſed etiam authoritativam, decretorumq; Conciliarium conſtitutionem, iiſquè non ut privatis paſſivam tantùm, ſed poteſtativam convenire relligionis curam certum eſt credidiſſe Sanctos olim Eccleſię Patres, quos voluiſſe Principibus attribuere quod iis jure deferendum non eſt, Suſpicari nos veremur; atque

Wemyss, Sir J.

Atquè eò libentius, jus illud, ac poteſtatem, Principibus nunc Chriſtianis deferendam eſſe profitemur (etiamſi a plurimis ſæpè objiciatur, non niſi ſacras perſonas, ſacrarum judices eſſe cauſarum) quòd e ſacrâ didicerimus Scripturâ, Synedrium *Hieroſolymitanũ* in quo tanquam ſupremo apud Dei populum Tribunali, relligionis etiam cauſæ pertractarentur, ex Judice imprimis, & familiarum Principibus conſtitiſſe, qui non minùs quàm Sacerdotes & Levitæ ſuffragiũ deciſivum habuerint. Atquè ità finiamus diſceptationem de Concilii Formâ, Finiſq; ad conſiderationem progrediamur.

Synodalium Conventuum Finis eſt, Ut in Eccleſię regimine, aliorum, præſertìm paſtorum habens conſilium & aſſenſum Princeps, pium magìs, florentemquè & pacatum reddat Eccleſiæ ſtatum; Etiamſi enim vt antè diximus, extrà Concilia jubendi & judicandi authoritatem habeat princeps, tamèn libentiùs, & ſecuriori, vt credunt, conſcientiâ iis obſequuntur ſubditi principum ſtatutis, quibus conciliorum ſeu paſtorum in conciliis honorantur Judicia; Et quidem, quibus in conciliis interfuerunt ac præſiderunt Principes dicitur, eos cum Epiſcoporum conſilio & conſenſu omnia egiſſe, & vt loquitur Cardinalis *Cuſanus*, lib. 3. c. 16. de concordan. primatum officiumque pręſidentiæ per interlocutiones, & ex conſenſu Synodi concluſiones & judicia feciſſe: Ut in Synodo *Francicá* (cui adfuit *Zachariæ* papę Legatus qui vocatus *Petri* Miſſus) ait *Carolomanus Francorum* Princeps, *Per Conſilium Sacerdotum & Optimatum ſuorum omnia ſe ordinaſſe, ſtatuiſſe, ac decreviſſe*: Et in Synodo *Sueſſionenſi* ait *Pipinus Francorum* Princeps ſe, *Cum Epiſcoporum conſilio,*

et Optimatum colloquio omnia conſtituiſſe ac decreuiſſe: Quibus principum verbis clarum eſt agnoſci ab iis paſtores ut advocatos tantum in legiſlatione conſiliarios, & in ipſis ſolis poteſtatem νομοθετικην eſſe, Quod & in aliis patefaciunt Conciliis quæ priùs citare obliti ſumus, ut in edicto de confirmatione Concilii *Toletani*. 3. ait *Recaredus* Rex, *Suà ſe authoritate jubere ut obſerventur capitula in Synodo conſcripta, utpote quæ ſuis ſenſibus placita ac ut perenni ſtabilitate maneant, ipſum ſancire*: In reſcripto *Caroli* ad *Elipandum Toletanæ* civitatis Metropolitanum cæteroſq; in *Hiſpania* conſacerdotes, aiens, *Suam eos flagitaſſe pietatem, quatenus in ſua præſentia efficeret ut in Synodo* Franco-furdenſi *ad eorum reſecandos errores congregata eorum legeretur libellus, & per ipſum Arbiter ſedens plurimorum perſcrutaret cõſilio quid in rectæ fidei ſanctionibus conſentiens inveniretur*, Iſti eorum petitioni ſatisfaciens aſſerit, *Collectorum undiq; Eccleſiaſticorũ Doctorum populiq; Chriſtiani Rectorem adſediſſe ſe, auditorem & arbitrum, perlectoq; a capite ad calcem libello, quid eſſet firmiter tenendum decreviſſe*. Erat autem cauſa fidei contra *Elipandum Toletanum*, quòd Chriſtus, Dei filius adoptivus eſſet, aſſerentem, ut docet doctiſſimus D. Epiſcopus *wintonienſis*, in Tortur. Tort. pag. 165.

Sed nonne, in ipſâ *Nicena* Synodo .1. quę facta ſunt, a *Conſtantino* dicuntur conſtituta, ſic loquente de *Conſtantino* Synodum dimittente, *Euſebio* in Epiſtolâ quam a *Nicæa* ad Cęſarem ſcripſit, ουτω inquit συνταξαμενος ἐπι τα σφων οικεια τους παντας επανιεναι αφιει, Unde & argumentum duci poteſt non ineptum pro Regio in convocandis Synodis jure, Eiuſdem namq; eſt convocare & dimittere, non autem dimittit, niſi qui detinendi habet poteſtatem quæ ſolis Principibus competit: Eſt igitur Principum ex conſilio Eccleſiæ leges Eccleſiaſticas

Wemyss, Sir J.

aſticas ferre, ſicuti a Principibus eſſe latas non dubita verit, qui *Conſtantini*, *Thodoſii* utriuſque, *Gratiani*, *Honorii*, *Martiani*, *Caroli* Magni, *Iuſtiniani*, aliorumque Regum leges revolverit, quas aut nullitatis aut impietatis accuſare, craſſà eſſet halucinacione Sanctam damnare Eccleſiam primitivam, quę eas cum gratiarum actione recepit, iiſque tanquam Dei donis juxta doctrinam Apoſtolicam paruit; Atque ea poteſtas non abſque Principum populi Dei, *Moſis*, *Ioſuæ*, *Davidis*, *Salomonis*, *Ioſiæ*, *Ezekiæ*, *Iehoſophati*, aliorumque exemplo uſurpata fuit, quam non vt deſtrueret ſed vt impleret veniſſe Chriſtum, Math. 5. pro certo tenemus: Cui rei non obeſt quod dicunt quidam, Judæorum Judices ac Reges, quoniam Eccleſiaſticæ eſſent perſonæ, Eccleſiaſticis ſeſe immiſcuiſſe negotiis, Nam licet ex iis multi forſan prophetæ, pauci tamen vel nulli Sacerdotes fuerunt, exiſtente poteſtate eâ Sacerdotali, in *Aarone* primùm ut primogenito, in eodem poſteà eiuſque filiis ut peculiariter ad munus Sacerdotale a Deo conſtitutis, Prophetæ verò quà Prophetæ, Eccleſiam non regebant, ſed Rectores dirigebant eoſq; delinquentes a Deo corrigendos denuntiabant, cùm & ex populo quibuſlibet tam fœminis quam maribus communicaretur prophetiæ donum, quod proindè Sacerdotalem non impertiretur functionem; nequé etiam extraordinaria Principum functio Sacerdotalis Regiã eorundem ſuſtulit gubernationem ordinariam, ſubſecuturos in Principes jure optimo derivandam: Sed quid? Non poterunt Paſtores abſque principis authoritate leges ferre, & ſic ſi minùs faveat princeps gubernatoriâ carebit poteſtate Eccleſia? Et quid abſurdi, ſi non ſemper ſit in Eccleſiâ poteſtas gubernatoria coactiva, Neque enim paſtorum poteſtas eſt

authoritativa ſed miniſterialis, Credendum autem eſt eam habiturum eſſe Deum Eccleſiæ curam, ut quandocunque ei bonum videtur, ſecundum *Eſaiæ* prophetiam, in illius Nutritios in rebus non tantum civilibus ſed etiam Eccleſiaſticis teſte *Lyra*, ſuſcitaturus ſit Principes, Quos ſi non ſuſcitarit, Eccleſiam decet illius providentiam patienter exſpectare, Quomodo enim poterunt Eccleſiæ paſtores renitente eo penes quem ſumma eſt Imperii, canones vim habituros legum conſtituere? Quâ de cauſâ fuit, Quod Chriſtiani, olim, cœtus ſuos non celebrarint, verentes, ne in Senatus-conſulta illa & mandata principum, non niſi quæ inter Gentiles fierent & Judæos relligioſa ſodalitia permittentium coitionibus oppoſiti delinquerent; Neq; penitùs Anarchica erit Eccleſia, ac judicii authoritate deſtituta, habentibus ſemper paſtoribus ἐπιταγὴν & debente populo ὑποταγὴν in iis quæ in verbo ſuo, obſervanda eſſe mandavit Deus; quæ tamen ſpiritualis etiam Eccleſiæ gubernatio, ut floreat Eccleſia, ſummâ principum inſpectione eget, cujus vicem in Eccleſiæ primordio extraordinaria Apoſtolorum dona (nunc ceſſantia) aliquatenus, ut tunc fuerunt tempora, ſuppleverunt.

Nunc ex omnibus quæ de Conciliis dicta ſunt, exſurgit hæc Conciliorum definitio, ut ſint Concilia, *Eccleſiæ præpoſitorum aliorumq; prudentum virorum a Principibus vel ſummis quibuſq; Imperantibus ritè convocatorum Conventus, in quibus ex communi eorundem conſilio & aſſenſu ſtatuunt Principes, quæcunq; ſibi creditarum a Deo Eccleſiarum pium florentemq; & pacatum ſtatum procurare & conſervare poſſint.* Atque hæc de Imperii poteſtate, quam interveniente Clericorum conſilio circa Eccleſiaſtica exercet Princeps. Sequitur de Judicii poteſtate aliquid dicamus.

DE

Wemyss, Sir J.

De Juridica Principum circa Eccleſiaſtica poteſtate, & ſuppoſititia Clericorum exemptione.

Cap. VIII.

POteſtas hæc Judicii ut meliùs intelligatur, juriſ-dictionem (quatenùs ſcz. legiſlationi ſubordinatur) generaliter conſiderabimus; Juriſdictio omnis, vel Regia eſt, vel Sacerdotalis; hęc poteſtas eſt a Deo immediatè conceſſa, quâ ſecundum legem divinam in iis quæ conſcientiam directè attingunt judicans paſtor, ſpiritualem peccantibus, ut erubeſcentes recipiſcant, infligit, aut a pœnitentiam profitentibus, ut ſolatium habeant, cenſuram removet Cujus itaque Efficiens eſt Deus deſignatæ ab Epiſcopo perſonę poteſtatem conferens, Materia ſubjectiva eſt Paſtor ſolus clavium habens poteſtatem, objectiva ſunt homines quà peccantes aut pœnitentes, non niſi ad peccata ſeſe extendente clavium poteſtate, fundamentum eſt jus divinum, a quo ſolo regulatur conſcientia, & Effectus eſt, ſpiritualis pæna aut prœmiũ, peccatum, non aliud, ligante aut ſolvente miniſtro, Et Finis eſt, illius in quem exercetur ea Juriſdictio, Eccleſiæq; ſcandalo offenſæ ſalus: Equidem hanc juriſdictionem volumus primariò aut propriè Principum eſſe, quia clavium conſequitur poteſtatem, quæ paſtorum (cùm conſecrantur, eam a Deo accipientium) propria eſt; Quoniam autem, in illius exercitio delinquere poſſunt paſtores, ut enim aiunt *Hieronymus*, & *Origenes* qui foràs mittitur, poteſt intus eſſe, & qui fo

ris eſt, intùs retineri. c. 4. & 7. cauſ. 24. quæſt. 3. Principum eſt jus, injuſtas paſtorum ſententias retractare, quemadmodum juſtas approbare, legittimèq; judicatos civiliter cohibere, Neque enim Principes qui Dii ſunt quorum in medio dijudicat Deus Pſal. 82. tanquam Eccleſiaſticorum officiales ad ſerviliter atq; implicitâ fide quicquid his viſum fuerit neceſſariò exequendum obligati ſunt; Et præterea ſpiritualis hæc juriſdictio non tam objecti & formę judicialis, quam effectus & pœnæ intuitu Principibus negatur, ità ut licet Principes excõmunicationis aut reconciliationis actum ſolẽniter exequi nequeant, excõmunicationis tamẽ aut reconciliationis actum ut exequantur paſtores judicialiter decernere poſſunt, Nam fatentur pene omnes poſſe in Concilio, cuius membra, etiam Laicos eſſe probatum eſt, deduci excommunicationis proceſſum, & poſſe a principibus conſtitutiones de excommunicatione fieri teſtatur Synodus *Pariſienſis* ſub *Ludovico* pio habita, quæ ait Eccleſiam Catholicam *Juſtiniani* Imperatoris legem, de illicitâ excommunicatione ſervare c. de illicitâ, cauſ. 21. quæſt. 3.; Mihi itèm probabile eſt, non tam poteſtatis ordinis quam juriſdictionis in foro exteriori actum eſſe excõmunicationem, ut opinantur Scholaſtici ferè omnes: Nequè putet quis, quia delegata eſt a Chriſto, non a Principe, iſta paſtoris juriſdictio, Chriſti ideò ſolius eſſe, non principis, de illius abuſu cognoſcere, quia, prætérquam quòd ſic, omninò impunè delinquere poſſet paſtor, notum eſt, poſſe patriæ poteſtatis actus a principe dirigi, tametſi ea non humani a principe, ſed a Deo immediatè divini ſit Juris; ut in Rep. Romanâ, licet a populo cùm penes eum ſumma eſſet imperii, delegata ĩmediatè eſſet Senatoria & Cõſularis poteſtas,

Cenſorum

Wemyss, ...

Cenſorum tamen inſpectioni ſubiacebant in poteſtatis exercitio Senatores & Conſules; & in Regno quolibet Judices ac Magiſtratus immediatè authoritatem ſuam a Rege nacti, ſupremis tamen Collegiis Juridicis ſubiiciuntur; Neque minùs ad principem ſpectat paſtoralis juriſdictionis (quam exercere ei nefas eſt) quā Sutoriæ poteſtatis moderatio cuius Imperiali non cōvenit honorificentiæ exercitium: Ex dictis ſequitur, exerceri quidem a paſtoribus iuriſdictionem illam ſpiritualem, iiſque a Deo ſolo eam eſſe demandatam, In eâdem verò exercendâ, dirigi ac corrigi poſſe a principe paſtores, Atque ut ait *Barretus*, c. 6. lib. 2. de iure Regis, Spiritualia præſtandi facultatem habere ſolos paſtores, Sed ſi paſtoribus deſit voluntas, hos cogi poſſe a principibus, Et licet a Deo in ordinatione committatur paſtoribus indefinitè ſpiritualis Juriſdictio, poſſe tamen eos, in iſtius particulariter exercendæ modo a principis pendere commiſſione, eoſdem ad exemplum *Iehoſophati*, ad obeunda per Regnum munera ſacra mittentis: propterea aliquam in ſpiritualibus iuriſdictionem eāquè ſummam Principis eſſe, Etenim non in exercitio ſeu executione, ſed in imperio & animadverſione conſiſtit præcipua ſummę iuriſdictionis eſſentia.

Juriſdictio Regia vel Civilis eſt, vel Eccleſiaſtica, Civilis, poteſtas eſt a Deo data, in principe principiſque delegatis, quâ ſecundum principis ſtatuta, in iis quæ externa civium bona reſpiciunt decernens Iudex, corpoream ſeu pecuniariam delinquentibus pœnam, imponit, aut immerentes ab eâdem liberat, Sed de civili hâc non eſt impræſentiarum controverſia, Eccleſiaſticam definimus eſſe poteſtatem illam a Deo conceſſam quâ ex Imperialium Conſtitutionum prę-

ſcripto, princeps ipſe, eiuſve mandatarius, in iis quę externum reſpiciunt in Eccleſiâ decorum judicans, Eccleſiaſticam delinquentibus imponit pœnam, aut ab eâdem non delinquentes liberat,] Ex quâ definitione colligitur, quæ eſt inter ſpiritualem, & Eccleſiaſticam Juriſdictionem differentia, quòd illam omnẽ Deus immediatè det, hanc etiam princeps, illa ſecūdùm leges Divinas, hæc ſecundùm Humanas, illa in Moralibus, hæc in Judicialibus exerceatur, illa Spiritualem, Chriſti conſtitutione, hæc Eccleſiaſticam Principis definitam ſanctione irroget pœnam, illam proindè Paſtor ſolus in ſacris conſtitutus, hanc Princeps qui mixta eſt perſona, & ſub eo, etiam Laici habere poſſint, Et ſic differentia ſit in efficiente, fundamento, obiecto, effectu & ſubiecto: Quarè cùm Eccleſiaſtica ſit Juriſdictio, quæ in Eccleſiaſticis verſatur cauſis, Cauſas autèm appellemus Eccleſiaſticas, quę ad Leges Eccleſiaſticas relationem habent, quandoquidem ab Imperii poteſtate dependeat judicii poteſtas, Dicendum eſt, quod habent Eccleſiæ Epiſcopi, & ſub iis Archi-diaconi & Officiales, juriſdictionis aut voluntariæ aut contentioſæ, in inquirendo, atque animadvertendo ſecundùm Canones Eccleſiaſticos in Clerum populumvè delinquentem, Jus, a Principe eſſe, Canonum vt dictum eſt, authore, Namq; illius eſt, ut norunt Juriſprudentiæ gnari Judices, dare, penes quem eſt jus ſtatuere: ac ſpiritualem non exercere juriſdictionem paſtores, quando ſecundùm Canones judicant Eccleſiaſticos, ſpiritualem obtinentibus iuriſdictionem paſtoribus per commiſſam a Deo Legiſlatore, non ab hominibus poteſtatem, Eccleſiaſticamque juriſdictionem quæ in foro eſt exteriori coactiva, Laicis imò mulieribus mandari poſſe, vt teſtatur

Wemyſs, Sir J.

tur *Gerſon.* conſid. 4. de poteſt. Eccleſiaſt. Multò magis quam habent Epiſcopi, eorumque vicarii Juridici, in cauſis Teſtamentariis, beneficiariis ac Matrimonialibus juriſdictionem, Principi tanquàm fonti & ſubiecto illius primo eſſe aſcribendam, quòd cauſæ illæ & civiles ſint, ad externa Civium bona ſpectantes, & de contractibus ſint humanis civilibus qui ex Regiarum legum præſcripto judicialiter moderandi ſunt Nam contractus matrimonii in omnibus, præter monogamiæ, inſolubilitatis, & erga proprium ſanguinē reverentiæ conditiones, a Deo præſcriptas, Regiæ civiliſque poteſtatis moderationi ſubiectus eſt, vt pote qui ante Eccleſiaſticam benedictionem (quæ propter hæreticos eum damnantes addita eſt, ut & divinæ eſſe inſtitutionis demonſtraretur, & gratia coniugatis divina impetraretur) in ſuo eſſe perfectus ſit contractus civilis, vt docet Archi-epiſcopus *Spalatenſis.* Poteſt ergo Princeps ſivè in voluntario ſivè in contentioſo judicio, vt Synodaliter, ità per ſe ſuoſvè delegatos, Nec niſi Princeps, aut a Principe officio ac lege vel literis ac cōmiſſione jus habens, de cauſis illis cognoſcere, quia de cauſis Eccleſiaſticis fert ſolus leges, & Cōcilii ſine eo miniſterialis tantùm non dictatoria eſt poteſtas, vt ait D. *Tilenus.* diſput. 1. theſ. 21. de Cōcil. Judex autem legiſlatori ſubordinatur, & qui legiſlator eſt, eum recuſare Judicem, communi repugnat ſenſui: Sed nonne, etiam legis Divinę cuſtos eſt Princeps ac vindex? ut ſcz. ſecundùm legem divinam cùm de credendis tùm de agendis judicare ac decernere poſſit; Obſervavimus antè, Legiſlatorem quidem propriè non eſſe in rebus ad pietatem attinentibus, rerumq; idcircò fidei Judicem ſupremum non eſſe Principem, Judicem autem iuris ſubordinatumq; dici poſſe

 iudicem

iudicem non ἀναμάρτητον, Tàm enim Regii eſt officii pœnâ civili, quàm Paſtoralis, Eccleſiaſticâ cenſurâ hominis Eccleſiam hæreſi & ſciſmate ſcindentis, aut vitâ eam flagitioſâ offendentis delictum plectere, & nemo hominum negabit Principis eſſe, legis divinæ obſervationem pænalibus ſuis ſanctionibus mandare, inq; illius contẽptores animadvertere, Nam vt ait Rex *Salomon* proverb. 20. 8. *Rex inſidens ſolio judiciali ventilat in oculis ſuis, diſſipatvè intuitu ſuo omne malum.* Mandatum verò & animadverſio habendam de mandati contemptu cognitionem præſupponunt, quomodo namque prudenter ſtatuet, aut iuſtè de pœnâ pronunciabit, cui negata de crimine cognitio? certè iuris notionem inſequitur iuris dictio, & lictor non iudex dicendus, cui pœnæ irrogatio non demeriti inquiſitio cõmittitur; Eſſe autem Principem divini, ſicut humani juris & ordinis, cuſtodem, ſi non alia eſſent probandi media, perſpicuè probatur ex Cantico illo excellentiſſimo *Davidis*, 122. cuius verſu 5. gratulans Propheta *Hieroſolymis* conſidere Thronos Juris, id eſt vt interpretatur D. *Iunius*, Juridicam omnem cùm Eccleſiaſticam, tùm Civilem poteſtatem, addit, Conſidere thronos domus *Davidis*, vt exprimat, eodem teſte, qui utriuſque poteſtatis cuſtodes ſint & νομοφύλακες: Et quid incommodi, hanc attribui Principibus poteſtatem, quibus perſpicuus eſſe poteſt, vt & ſimpliciſſimis eſt modò uſu rationis polleant, ſenſus eorum omnium quæ in Dei verbo ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria ſunt, etiamſi non ſine Spiritus revelatione & operatione verè & ſalutariter cognoſci ſeu potius agnoſci queant; Principis eſt, vt loquuntur Theologi, operam dare, ne quid Eccleſia detrimenti capiat, a Pſeudo-prophetis & hæreticis, Primæ igitur non

Wemyss, Sir J.

non minùs quàm ſecundæ Tabulæ cuſtos eſt, cui non quidem de legibus divinis, ſed ex iis judicandi competit poteſtas. *Tilen.* in notis ad cap, 3. lib. 3. *Bellarm.* de verbo Dei. Verùm vt antè dictum, In controverſiis Fidei & Relligionis, veriſimile eſt, juris poteſtatem ſemper fuiſſe Eccleſiæ, quid credendum aut faciendum ſit declarantis, & poteſtatem tantùm facti habuiſſe Principes prout declararet Eccleſia facientes; Imò contrà e ſacris eluceſcit Scripturis, ſuſtuliſſe Reges *Iſraeliticos* quæ eſſent in Eccleſiâ corruptelas & abuſus, non ex Eccleſiæ declarantis imperio, quòd non poſſit Eccleſia hæretica ſui reformationem imperare, ſed citra omnem Eccleſię declarationem, ex ſuo ipſorum officio, tanquam de quo, tam in ſacris quàm profanis negligendis, Deo rationem reddituri forent, de quibus proindè corruptelas non tollentibus, non de Eccleſiâ ipſâ corruptâ quęrimoniam facere oportuerit: Si dicatur, in iis quę manifeſtè ſunt contra legem Dei, nec in quæſtionem veniunt in Eccleſiâ, quippe quæ expreſſa ſint, opus quidem non eſſe declaratione Eccleſiæ, ſed eo caſu qui *Ioſiam* imitantur rectè agere Reges; Nos vel indè argui autumamus, non ex Eccleſiæ declaratione pendere Principis in Eccleſiâ reformandâ poteſtatem, etiamſi in iis quæ manifeſta non ſunt & in quæſtionem trahuntur prudentis ſit Eccleſiam conſulere, Propterea quòd utrobique eadem ſit Principis authoritas, quam variari rerum claritate vel obſcuritate, quæ urgeat ratio non videmus. Atque hæc breviter dixiſſe de judicii Eccleſiaſtici poteſtate ſatis eſſet, niſi non modò in Eccleſiaſticis ſed & in omnibus aliis cauſis, cùm quoad perſonas tùm quoad res, a Principis juriſdictione Clericos eximerent Pontificii, quam ob cauſam de ex-

exemptione illâ quædam fari operæ pretium erit :

Primò, nullam eſſe perſonalem docet Apoſtolus, Rom. 13. Edicens, vt ſe ſubiiciat (.1. ſubiectionem agnoſcat) omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus, Neq; enim locum illum ſic interpretari licet, ac ſi perpendens Apoſtolus quis eſſet tùm temporis Imperii ſtatus, nihil adverſus eum tentare Chriſtianis conſuluerit, quòd virium defectu fruſtrà id conantes majus ſibi procuraturi eſſent malum: Quaſi verò temporarium fuerit, non perpetuum, illud Apoſtoli præceptum, & politica ac proviſoria, non Moralis ac abſoluta Juſſio, Quin contrarium evincit uſurpata a Dei Spiritu vox τȣ̃ ὑποτασσεσθαι, quod non éſt, obedire, ſed ſubordinari, & infrà quaſi in acie collocari, vt ibidem, αντιτασσεσθαι, eſt in acie adverſâ poni, vt ità non tantùm liberam obedientiam, ſed etiàm neceſſariam ſubiectionem præcipiat ibi Apoſtolus, (quemadmodum quoq; in Epiſtolâ ad *Titum*, cap. 3. 1. docet Principibus deberi non modo πειθαρχεῖαν, ſed & ὑποταγὴν, quarum illa eſt huius effectus, quòd in quo eſt juſtæ ſubiectionis conſcientia, alacris ſit ille in obedientiâ) Nam ſignificant ea verba militaria, ità inſtrui Dei qui Regum Rex eſt et Dominantium Dominus exercitum, vt ſub Deo, Reges ſint τεταγμενοι Αρχοντες, ſeu Αρχηγοι, prædict. cap. 13. Rom. 1. & 3. Et Magiſtratus ſint πεμπομενοι a Regibus Ηγεμονες. 1. petr. 2. 14. Sit Deus ipſe Dominus verè ſupremus, Dei generales Legati ſint Reges, Et ſub Regibus, Duces ſint Magiſtratus & Judices, Reliquuſque populus, milites: Neque eiuſmodi conſilio politico opus fuiſſet, cùm ex *Tertulliani* Apologetico, aliorumque ſcriptis evidens ſit, Eccleſię Primitivæ nec virorum numerum defuiſſe, nec vires ad perſecutores, ſi licuiſſet, in ordinem cogendos;

Sed

Wemyss, Sir J.

(Sed, ut ait .D. *Cyprianus* epiſt. ad *Demetrian.* Chriſtiani licet copioſi, tamen non fuere rebelles in Principes, a quibus cruciabantur, quòd patientes faceret de ultione ſecuritas, &, ut idem ait *Tertullianus*, Principibus paruerunt, non ut occaſionem fruſtrandi martyrii quęrerent, quaſi timentes, ſed ſolo Dei metu adacti) Et tametſi defuiſſent vires, ſi Eccleſiæ fuiſſet perſecutores judicare, non minùs in ordinem, ſaltem judiciali ſententiâ, eos cogere, quam reprehendere, cum vitæ etiam periculo debuerunt Eccleſię prępoſiti; Ad hæc Chriſto defuiſſe aut poteſtatem juriſdictionis, aut potentiam executionis, impium eſt, dicere, qui, idcircò, perſecutores Eccleſiæ non coercens, a peccato omiſſionis liberari nequit, ſi jure divino ab Eccleſiæ Præſulibus coercendi ſunt illius perſecutores: Ergò poteſtatum ſublimiorum Imperio ac Judicio ſubditi ſunt Clerici, idque non módò ob malum pœnæ, ſeu, vt loquitur Apoſtolus δια την οργην, Rom. 13. 5. ſed ob malum quoque culpæ, quod produceret inobedientia, ſeu δια την συνειδησιν, Et ſic obedientiam debent non in prudentiæ humanæ ſuperficie, ſed in Conſcientiæ radicibus fundatam, vt loquitur Sereniſſimus Rex noſter; Atque omnibus in cauſis, quæcunque enim fuerint, aut Dei lege, aut Principum ſtatutis terminandæ ſunt, ſi ſecundum iſta, judicabunt ipſi Principes, aut deſignati ab iis Judices, nam penes quos eſt legum-latio, eorum eſt ſecundum eas leges juriſdictio, Neque vero exleges erunt Clerici, ſi ex illâ, ad Principes quoque pertinebit judicium, Nam iis mandavit Deus, vt deuteronomium legis ſuæ deſcriberent, illudque omnibus vitæ diebus legerent. Deuteronom. 17. Nec putandum eſt debuiſſe eos ſemper legem Dei ſecũ habere, vt juxta eam ut homines privati tantùm,

non etiam, ut Reges, Deo ſervirent, quod quidem fit, cùm ut delegati a Deo legiſlatore magiſtratus ac judices, ejuſque in terris vicarii, imperium judiciumque exercent: Nec poterit Epiſcopus Romanus ſacrum alicui conferens ordinem, ſine Regis facto, ſuum Regi jus, quod ante ordinationẽ, in perſonam ordinati habuit, adimere, quod enim noſtrum eſt ſine noſtro facto, per alium auferri a nobis non poteſt, .l. id quod noſtrum. tit. de regul. jur. Quam itaque abſurda magis eſt ea Pontificiorum opinio, quâ aiunt amittere Regem baptizatum, quod ante baptiſmum habuit in clerum populumq; jus, Iniquiſſimum enim eſſet, privari ob bonum actum, eo jure Regem, quod antè in dignior cùm eſſet, habuerat, & minus ampla habere jura poſt, quam, ante fidem ſuſceptam, pręter omnem juris ordinem, pœnam ſubeunte Rege, cùm culpam non commiſerit, Quarè *Gulielmus Occam* lib. de Pontif. poteſt. Apoſtolicæ memor doctrinæ, ait, Si ante Sacerdotalem dignitatem ſuo Regi non ſecùs ac reliqui ſubjectus quis fuerit, etiam hâc ſuſceptâ, quòd in quâcunque vocatione quis vocatus fuerit, in eâdem permanere debeat, eum ejuſdem ſubjectionis legi obnoxiũ eſſe, Atque huic exemptioni adverſantur ſacræ Scripturæ, atq; Eccleſiaſticæ hiſtoriæ exempla, & juris canonici teſtimonia, Rex *Salomon, Abiatharem* Summum Sacerdotem cum *Adoniah* conſpirantem depoſuit, ac relegavit, eum mortis virum pronuntians, (ut & cum *Adoniah* & *Ioab* interſici mandaſſet niſi *Davidi* fidelem navaſſet operam,) Et in *Abiatharis* locum *Zadocum* ſubſtituit; 3.Reg. 2. Neq; hæc actio ab aliâ quam Regiâ fiebat authoritate, nàm poteſtas prophetica non pronunciatione aut inflictione, ſed prænunciatione ac denunciatione pœnę definitur, & non judex ac executor, ſed index eſt nunciusq; divinę juſtitię Propheta, Nec ab

alio

Wemyss, Sir J.

alio, exilii mortiſvè ſententia atq; executio, quam a Principe gladium portante, aut a Principis, vel Dei qui Principum eſt Princeps mandatum habente proficiſci poteſt, nec ullibi in Scripturis reperitur datum *Salomoni* a Deo ſpeciale aliquod *Abiatharem* deponendi mandatū; Cùm ergo *Salomon*, neq; officii prophetici, neq; ſpecialis Dei mandati virtute, *Abiatharem* exauthorarit, ſupereſt Regii in eo Primatus actio ea fuerit; Nec mirentur, tribuere nos Principi Sacerdotes exauctorandi poteſtatem qui inficias non ibunt, ab Imperatoribus depoſitos fuiſſe quamplurimos Romanæ ſedis Epiſcopos: Et quid ni? Volunt ex Theologis plurimi Sacerdotum Paſtorumvè exauctorationem ſeu depoſitionem, non ſpiritualem & merè Eccleſiaſticam eſſe cenſuram, ſed civilem potius pœnam, quum cenſura ſpiritualis alia non ſit quàm excommunicatio, Et ex horum opinione, quia indelebilis eſt, vt aiunt, per hominem, ordinum a Deo immediatè collatorum character, id eſt, Ordinis poteſtas juris divini eſt & perpetui, ſcz. quoad vivat ordinatus durans, (nemo namque mittens manum ſuam ad Aratrum, debet retròreſpicere Luc. 9. & neceſſitas ordinato incumbit cui Væ niſi Evangelizarit. 1. Corinth. 9. 16.) ab Ordinum poteſtate, nec Princeps nec Paſtor alium deponere poteſt Paſtorem, Sed depoſitio omnis eſt tantū a libertate exercitii quo in diſtrictu poteſtatem habet deponens, quod, vt dat ità auferre poteſt Princeps, quam ob cauſam eſt, quod depoſiti ſeu degradati, ſi pœnitentes ad ſua munera reſtituantur, ab Eccleſiâ reordinari non ſoleant: Cenſent alii, Deum ità ab Eccleſiâ miſſis poteſtatem conferre, vt ubi meritò punit Eccleſia, totam miniſterii poteſtatem antè collatam iis auferat, nihil tamen impedire quin poteſtas imme-

diatè a Deo conceſſa, nec niſi a Deo per Eccleſiam tollenda, a Principe reſtringi poſſit, vt non ſit Principe renitente, in ſuo Regno illius uſus, quia eſt a jure humano poteſtatis paſtoralis extenſio: Ad extremùm, etiamſi fateremur, quod a multis dicitur, effeciſſe *Salomonem* Regem, vt per Sacerdotes deponeretur Pontifex *Abiathar*, neque ſic vitaretur Principis in Clerum poteſtas, quam non actione cauſæ inſtrumentalis, ſed directione Principalis metiri oportet: Hic opportuna videri poteſt quæſtio, An quibus Paſtoribus abſque juſtâ fortè cauſâ ſilentium injungit Princeps, Cum Apoſtolis reſpondere poſſint, oportere Deo magis quam homini obedire? Ac videtur quod non, non habentibus nunc paſtoribus, cuiuſmodi habuerunt Apoſtoli immediatum a Deo, Evangelium indefinitè prædicandi, mandatum, Et in actus externos corporales, (qualis eſt Sacrorum miniſtratio) quoad locũ, aut tempus, modumvè aliquem accidentalem, plenum habente Jus principe, nam de abſolutâ, quoad rem ipſam, in odium fidei, eiuſmodi actuum prohibitione aliam eſſe rationem, facilè crediderimus:

Propheta *Ieremias*, cùm ei, tumultuariò propter excidii *Hieroſolymorum* prędictionem comprehenſo, mortem minarentur Sacerdotes, a Rege *Zedechiâ*, ſaltem eius delegatis populi Principibus (quorum in manibus ſe eſſe agnovit *Ieremias* iudiciumque implorarunt Sacerdotes) morte liberatus fuit. Jerem. 26.

Apoſtolus *Paulus* coram præſidibus *Fælice* & *Feſto* comparere cauſamq; ſuam agere non renuens, quamvis de ſuâ, vt loquitur, ſuperſtitione, adeòque in cauſâ Eccleſiaſticâ accuſaretur, Ne *Hieroſolymam* ire, ibique a Sacerdotibus in ſuo Concilio, iudicium accipere cogeretur, Imperatoris *Auguſti* vt ſervaretur cognitioni

Wemyss, Sir J.

nitioni poſtulavit. Actor. 24. & 25. Quam *Pauli* ad Cæſarem a Concilio Eccleſiaſtico in cauſâ etiam Ecclesiaſticâ appellationem, benè obſervavit D. Epiſcopus *Roſſenſis*, legittimam fuiſſe neceſſitate iuris, non voluntariam facti ſubmiſſionem, quum dixerit, oportere ſe ad Cæſaris Tribunal iudicari, nec dicendum ſit adeò iniuſtum fuiſſe Apoſtolum, vt juris prætextu ad non iudicis Tribunal iudicari ſciens poſtularit.

Athanaſius Epiſcoporum *Tyri* Synodo damnatus, ad Imperatorem *Conſtantinum* provocavit. Socrat. lib. 1, capp. 32. 33. & 34.

Donato de caſis nigris, vt eum appellat Sanctus *Auguſtinus*, *Cæcilianum Carthaginis* Epiſcopum accuſante, quòd Relligionis Chriſtianæ hoſtibus comburendas tradidiſſet Sacras Scripturas; non modo ſemel et iterum illius accuſationis examen Epiſcoporum Concilio commiſit Imperator *Conſtantinus*, ſed & bis appellante *Donato*, ipſe eiuſdem in ſe ſuſcepit cognitionem, & *Cæcilianum* abſolvit, contra quem etiamdum obiiciente *Donato*, quòd a *Fælice* quodam Eccleſię traditore ordinatus eſſet Epiſcopus, ad *Ælianum Africæ* proconſulem, eum dimiſit Imperator, a quo & abſolutionis ſententiam cœpit. *Auguſtin.* Epiſt. 162. & 166. & lib. 3. adverſus *Creſconium* lib. 10. cap. 5.

Euſebius Epiſcopus *Dorylianus*, Imperatoribus ſupplicans, vt de ipſius cauſâ contrà *Dioſcorum* Epm. *Alexandrinum*, quæ de Fide erat, iudicare vellent, petiit, ut divinis ſuis ac venerabilibus mandatis ad Synodum *Chalcedonenſem* miſſis, efficerent examinari quæ inter eum & *Dioſcorum* eſſent negotia, quæque fierent omnia ad ipſorum referri cognitionem: Et Synodi illius patres ac Judices, de cauſâ illâ iudicantes, *Dioſcorum* tanquam qui contrà Canones Eccleſiaſticos & iniuſtè

Euſebium depoſuerat, vt eâdem puniretur pœnâ, decrevere, alienum ab Epiſcopali dignitate eſſe reddẽdum, modo diviniſſimo eorum domino Imperatori placeret. *Evagr*. lib. cap. 4.

Theodoſius Magnus Eccleſiam videns hæreſi *Arriana* dilacerari, non ſolùm *Demophilo Arrianæ* relligionis Antiſtiti mandavit, vt, ſi pacem & concordiam fugeret, vellet & Oratoria fugere, *Socrat*. lib. 5. cap. 7. Sed etiam convenientibus ipſius mandato ad domum Regiam vtriuſque cùm Homuſianæ tùm Arrianæ fidei Antiſtitibus, poſtquàm ſeorsìm exiſtens, Deum impenſè rogaſſet, vt ad veritatis electionem ei cooperaretur, lecto unoquoque dogmate, omnia quidem alia tanquam Triadis ſeparationem inducentia reprehendit ac diripuit, ſolum verò quod Homuſianam contineret fidem laudavit & amplexus eſt, & legibus latis edixit, vt heterodoxi neque ad concionem vocarent, neque de fide docerent, neque Epiſcopos aut alios ordinarent, iiſque a ſe latis Legibus graves aſcripſit pœnas. *Socrat*. lib. 5. cap. 10. & *Sozomen*. lib. 7. cap. 12. Quid autem manifeſtiùs demonſtrare poteſt, quod Principi in Eccleſiaſticis attribuitur, Imperii judiciique Jus? Atqui dicitur idem *Theodoſius*, Synodi *Conſtantinopolitanæ* conſtitutionibus, tantum adſtipulatus eſſe, *Socrat*. lib. 5. cap. 8. Et quæ Synodo placuerunt iis conſenſiſſe. *Sozomen*. lib. 7. cap. 9. ait *Socrates* Regem fuiſſe συμψήφον, quod non eſt nudè aſſentiri, ſed idem ferre ſuffragium, eandemq; ſententiam, Multis namque conſentiendi, quibus non datur ſuffragandi ius; Et *Sozomeni* verba ſunt hæc καὶ τὰ μὲν ἔδοξε τῇ συνόδῳ ἔδοξε καὶ ὁ βασιλεὺς ἐπεψηφίσατο, eſt autem ἐπιψηφίζεσθαι non tantum conſentire ſed ſuffragio confirmare ſeu decreto comprobare.

Aliorum

Wemyss, Sir J.

Aliorum ſubſequentium Imperatorum praxi confirmata eſt hęc Judicialis in Eccleſię prępoſitos principũ poteſtas, ſed quod omne ſuperat exemplum, Ipſe Chriſtus Mediatoris officio in terris fungens, non ſolum a *Pilato* præſide Romano, ſe Judicari permiſit, ſed & iudicialem præſidis ſuper ſe poteſtatem deſuper fuiſſe datam agnovit, Ioan. 19. 11. Et sìc non ſolùm de facto ſed etiam de Jure competiiſſe *Pilato* poteſtatem confeſſus eſt; quam in ſe legittimam, ratione tamen perſonæ iudicatę ſummâ cum iniuſtitiâ exercuit, Neque verò Judicis iniuſtitia iniuſtam facit iuriſdictionẽ, cùm iuſtâ poteſtate poſſit quis iniuſtè uti, ut & iniuſtâ poteſtate, aliquo modo iuſtè uti, teſte *Auguſtino* lib. de bono Coniugali cap. 14.; Nec in malam partem accipi a quoquam debet, quòd ſubiectionem hanc a Chriſto præſtitam, non modo facti ſed & iuris fuiſſe aſſeramus, quia de Chriſto loquimur vt ex muliere facto, quem & ſub lege factum ait Apoſtolus Galat. 4. 4. Credimus enim ipſum Chriſtum hominem, licet ratione hypoſtaticæ in eo Deitatis cum Humanitate unionis data ei fuerit omnis in cœlo & terrâ poteſtas puta, divina, Math. 28. 18. Quatenus tamen filius fuit hominis ſecundum carnem natus ex matre Romano Imperio ſubditâ, iure fuiſſe præſidi Regionis vel procuratori Cæſaris ſubditum, ſaltèm ex legittimâ, vt loquitur D. Archi-epiſcop. *ſpalatenſis*, pręſumptione, nam, etiamſi dici poſſit Chriſtum, etiam vt hominem (quia eadem Deitatis & Humanitatis perſona) non fuiſſe cuiquam ſubiectum, tamen non poterat nec tenebatur ſcire *Pilatus*, non fuiſſe Chriſtum, hominem purum, Adeòque ſibi ſubditum eſſe Chriſtum hominem ligittimè præſumebat: Item credimus Chriſtum reſpectu ſui muneris quo Mediator eſſet, non habuiſſe

 in princ

in principes ac magiſtratus poteſtatem temporalem, quippe ad opus mediationis minimè neceſſariam, ſaltem χρήσει ac ἐνεργητικῶς ſeu executivè, licet forſitan prædicto reſpectu κτήσει & ἑκτικῶς ſeu authoritativè omnis in eo fuerit poteſtas, quatenùs poteſtatis ei, ut Deus eſſet & homo, datæ capax non eſſet merus homo: Horum autem meminimus, ut appareat infirmitas pōtificiæ illius argumentationis, quâ ex Chrſti poteſtate temporali, quam nullam fuiſſe autumamus, infertur, quam tyrannicè vendicat pontifex in deturbandis e ſolio ſuo Regibus poteſtas, præſertìm cùm &, Ioan. 18. 36. fateatur ipſe Chriſtus Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, Quod autem aiunt quidam particulam (ex) regni originem, non materiam denotare, falſum eſſe oſtendunt ſubſequentia verba, quibus ait Chriſtus, Si Regnum ſuum de hoc mundo fuiſſet, quòd ipſius Miniſtri propugnantes obſtaſſent, ne Judæis traderetur, ac ſi dixiſſet, quod ſi Rex fuiſſet mundanus, adminicula ei non defuiſſent mundana quibus hoſtes ſuos reprimere potuiſſet: Quibus etiam ex verbis improbari videtur ea opinio, quâ judicio ac correctioni civili ſubduntur Principes, nam miniſtrorum Regis eſſe id impedire innuunt Chriſti verba; Si ad ea quę diximus, excipiatur, In Eccleſiâ conſtituendâ, & corruptâ, poſſe a principe fieri, quæ in Eccleſiâ purâ & conſtitutâ facere non debet, Reſpondetur, A Rege inſeparabilem, eandemquè ſemper eſſe Regiam eam poteſtatem, Et quamvis, quod conveniens eſt, pro circumſtantiarum mutatione poſſit non conueniens fieri nunquam tamèn fore non licitum, quod in ſe licitum ac legittimum eſt, Proptereà quod jure facit princeps purum non habente Eccleſiâ miniſterium, eodem id jure facere principem quando legittimi incorruptiq; ſunt miniſtri, tenendum eſt. Nunc

Wemyss, Sir J.

Nunc ad teſtimonia juris ipſius Pontificii accedamus, quorum pauca a nobis adferentur, ex multis tria ſeligentibus; Sic ſcribit *Pelagius* Papa ad *Chilbertum* Regem *Francorum Clodovei* filium, quòd in fide *Pelagius* erraret ſuſpicantem, *Satagendum*, Inquit, *eſt ut pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo obſequium confeſſionis noſtræ Regibus miniſtremus, quibus nos etiam ſubditos ſacræ ſcripturæ præcipiunt, veniens etenim* Rufinus *vir magnificus, Excellentiæ veſtræ legatus confidenter a nobis poſtulavit, quatenus vobis, aut beatæ recordationis* Leonis *Papæ tomum a nobis per omnia conſervari ſignificare debuiſſemus, aut propriis verbis noſtræ confeſſionem fidei deſtinare, Et primam quidem petitionis ejus partem, quia facilior fuit mox, ut dixit, implevimus, Noſque in omnibus Præſulis tomum pro Catholicæ fidei aſſertione conſcriptum Deo propitio cuſtodire manus noſtræ ad vos profeſſione ſignavimus, ut autem deinceps nullius quod abſit ſuſpicionis reſideret occaſio, illam etiam aliam partem quam memoratus vir illuſtris admonuit facere maturavi,* ſcz. *propriis verbis confeſſionem fidei quam tenemus expoſui.* Ex quo liquet canone, ingenuè agnoviſſe Papam, ſecundum Scripturas Regi ſe ſubditum, & Regis eſſe, in ſummi etiam Præſulis fidem inquirere, Regique debere Pręſulem fidei rationem reddere, ut ſcripſit *Franciſcus Zabarella*, lib. de ſciſmate & Concilio. poſſe coram Imperatore accuſari Papam de quolibet crimine, & poſſe Imperatorem a Papâ requirere rationem fidei. Sic etiam *Ludovico Auguſto*, *Leo* 4. de transferendi ad *Græcos* Imperii propoſito accuſatus, *Nos*, Inquit, *ſi incompetenter aliquid egimus & ſubditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro, ac miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare judcio, quoniam ſi nos qui aliena debemus corrigere peccata, pejora committimus, certè non veritatis*

diſcipuli, ſed quod dolentes dicimus, erimus præ cæteris erroris magiſtri, vnde magnitudinis veſtræ clementiam magnoperè imploramus, vt tales ad hæc quæ diximus perquirenda miſſos, in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta, quemadmodum ſi veſtra præſens eſſet Imperialis gloria diligenter exquirant, & non hæc ſola quæ ſuperiùs diximus, quærimus vt examuſsim exagitent, ſed etiam ſive minora ſive & majora illis ſint de nobis indicata negotia, Ità eorum cuncta legittimo terminentur examine, quatenùs impoſterùm nihil ſit quod ab ijs indiſcuſſum vel indefinitum remaneat. c. 41. cauſ. 2. quæſt. 7. Ex quo patet Canone, non ipſius modo Imperatoris, ſed & Imperatoris Legatorum Judicio definitivo legittimè ſubjectum ſeſe agnoviſſe *Papam*; Quod dicit *Bellarminus*, Sponte ſe ſubjeciſſe *Papam* Imperatoris judicio, ſeu facti, non juris fuiſſe eam ſubjectionem, Futilis eſt evaſio, Nam ſi *Papa* ſit ſupremus, vt ait ille, Judex, atque Eccleſiæ in terris Princeps, Caputvè miniſteriale, Non poteſt, ne quidem ſi maximè velit, alium ſuperiorem ſe Judicem aut Arbitrum conſtituere, cuius arbitrio ac judicio in omnibus ſe ſubmittat, quemadmodum hìc Imperatori ſe ſubmittit *Leo*; Quid enim, ſi deponendum a Pontificatu *Leonem* judicaſſet Imperator? poteſt quidem qui ſupremus eſt, in res ſuas, quas in ſuâ habet diſpoſitione, non in perſonam, alii juriſdictionem permittere, niſi ſuprematu ſeſe abdicare, privatumque reddere velit, & a poteſtate ſuâ ſummâ ſuos eximere ſubditos, quod fieri non poſſe autumant docti, Eſt enim maximum poteſtatis ſummę argumentum, quòd eam habens non poſſit eandem diminuere, vt nequit Deus mundum a ſuâ poteſtate ne vel minimùm liberare; Adhæc Canon, filiis, Cauſ. 16. quæſt. 7. ex cap. 1.

Concilii

Concilii *Toletani*. 9. deſumptusità ſe habet. *Filiis vel nepotibus ac honeſtioribus propinquis eius qui conſtruxit, vel ditavit Eccleſiam, licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam, vt ſi Sacerdotem vel miniſtrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honeſtæ conventione compeſcant, aut Epiſcopo vel judici corrigenda denuntient, Quod ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano eius, hæc inſinuare procurent, Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant.* Quo Canone indicatur, corrigenda eſſe a Rege tanquam ultimo ac ſupremo Judice, Clericorum, ſummâ etiam pontificali præfulgentium dignitate, errata, atque, vt ait *Auguſtinus* lib. 2. cont. lit. *Petil.* cap. 83. can. 33. cauſ. 23. quæſt. 5. *Cum aliquid adverſus Clericos Reges conſtituunt, ſi propter juſtitiam, reverâ hos perſecutores illorum eſſe, illos autem beatos qui perſecutionem paſſi propter juſtitiam, poſſidebunt regnum Cælorum, ſi autem propter iniquitatem ſciſmatis ſui, quid hos niſi correctores illorum eſſe, illos autem ſicut cæteros diverſorum ſcelerum reos, qui pœnas legibus pendunt, profectò infælices & in hoc & in ſæculo futuro.* Sed hæc nemini ignota, in jure qui verſatus ſit, quùm enim nullius ſit de cauſis iis jure cognoſcere de quibus, leges ferre nequit, & ſolus poſſit princeps de cauſis civilibus, tàm criminalibus quàm pecuniariis, & Eccleſiaſticis leges ferre, legibuſque pœnas conſtituere, Non niſi Princeps, Judiceſque ac Magiſtratus a Principe delegati, eiuſmodi cauſarum Judices eſſe poſſunt. Atque hæc contrà perſonalem Clericorum exemptionem ſufficiant, quæ ex pontificum, *Leonis*, *Gregorii*, & *Agathonis* Epiſtolis perſpicuè etiam refutatur.

Quod ad realem quam ſomniant pontificii Clericorum

corum exemptionem, ſeu rerum Eccleſiaſticarum im munitatem; Quandoquidem non modo Apoſtolus *Paulus*, dict. cap. 13. Roman. verſ. 6. & 7. doceat ab omni animâ, poteſtatibus ſupereminentibus quia Dei miniſtri ſunt omnibus ſubditis in bonum, propter conſcientiam pendendum eſſe tributum, ſed ipſe etiam Chriſtus, Math. 22. 21. *Phariſæorum* diſcipulis præcipiat *Cæſari* tanquam ſuū præſtare tributum, nec non, ſuo ut præiret exemplo, didrachma accipientibus, pro ſe & *Petro* ſtateram dederit, Math. 17. 27. (Etiamſi enim Chriſtus in ſe-ipſo conſideratus & abſolutè, immunis fuerit ac liber, attamen quà Mediator, homines obedientiâ ſuâ ſalvaturus, vtque ſuo exemplo, eos officii commonefaceret, Tributum ſolvere debuit & voluit) De jure divino nullam eſſe eiuſmodi immunitatem aſſeveramus, quod & clarè demonſtrat, præter Eccleſiæ primitivæ praxin, ipſorum pontificum vi veritatis extracta confeſſio; Sìc enim *Vrbanus* papa, can. 22. cauſ. 23. quæſt. 8. *Tributum* (inquit) *in ore piſcis piſcante Petro inventum eſt, quia de exterioribus ſuis, quæ palàm cunctis apparent, Eccleſia tributum reddit*, & poſteà, *Sanè quod in ore piſcis invenitur, pro Petro & Domino dari jubetur, quia de exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitùs eſt pro pace & quiete, quâ nos tueri & defenſare debent, Imperatoribus perſolvendum eſt*; & *Gregorius* 13 in additionibus ad can. 25. cauſ. 23. quæſt. 8. *De his*, in quit, *quæ Eccleſia a quibuſlibet emerit vel viuorum donationibus acceperit, Principibus conſueta debet obſequia, ut & annua ijs perſolvat Tributa*; Ex quibus colligi poteſt, ipſis ſuffragantibus *Romæ* pontificibus, Clericorum iiſdem quibus Laicorum bona, civilibus ſubiecta eſſe oneribus, niſi ſcz. aliter ſtatuere ac diſpenſare principibus placuerit, nec aliter fieri poteſt: Quæcun

que

què enim poſſident Clerici bona temporaria, aut prin cipis, aut populi liberalitate acquiruntur, Atque penitùs immunia, neque hæc, neque illa eſſe poſſunt, quia, quæ a ſubditis conferuntur, quandoquidem ſub diti ſervitio indè aſtringantur ſuo principi, cuius in præjudicium ea donare nequeunt, cum onere ſuo, ad Eccleſiam transferri dubitandum non eſt, quòd non valeant in alium plus juris transferre ſubditi, quàm ip ſi habent.l. nemo plus juris ff. de reg. jur. Nec quod eſt principis jus, ſine eius facto ei adimi poſſit.l.id quod noſtrum eſt, tit. prædict. Et quæ a Rege donantur, et ſi ſuperiore cui ſit ſerviendum, is careat, plenoque jure res habeat, quia nihilominus illius res, ſuſtinendo cum dignitate neceſſariâ ſuo ſtatui deputantur, ta citè annexum illud onus habent, Quod, ſi negetur, confiteri ſaltem oportet poſſe principem ſuis donationibus conditionem adiicere, quę ſubiectionis ius conſtituat ſeu potiùs declaret, namque in traditionibus rerum quodcunque pactum eſt, id valere manifeſtiſſimum eſt ait *Caius* .l. in traditionibus ff. de pactis. Si verò de iure eſſet divino ea immunitas, nullâ hominis proviſione impediri poſſet: At quæ ſacra ſunt Deoq; dicata, ad uſus humanos quâ poterunt ratione transferri? Ut ſatisfiat huic dubio, diſtinctio quædam bonorum Eccleſiaſticorum explicanda eſt, Alia, ſacra & divina, alia civilia & humana ſunt, Sacra vocamus & divina, quæ Deo quaſi offeruntur, ad teſtificandam fidelium tanquam ſubditorum ſubiectionem, piamque erga Deum rerum omnium dominum ac largitorem gratitudinem, cuiuſmodi fuerunt primitiæ, oblationes & decimæ ex devotione fidelium datæ: Civilia & humana appellamus quæ Eccleſiæ conferuntur, ad procurandam apud vulgus quę Eccleſiaſticæ debetur dig-

nitati authoritatem & reverentiam cuiuſmodi erant prædia Dei ipſius ordinatione, Principumque poſteà liberalitate, donata; Illa quoniam ſacrificiorum habent naturam, habitâ, a donantibus Dei potiùs quam Clericorum, ratione, Eccleſiæ data, nullum indè obſequium perſonale vel ſubſidium reale præſtari ſolebat, vt in Concilio *Wormacienſi* Imperatoris *Ludovici* iuſſione habito, ſancitum eſt, *Vt de primitiis, decimis, oblationibus fidelium, & atriis iuxta Eccleſiam pro ſepulturæ beneficio poſitis nullum presbyteri facerent ſervitium præter Eccleſiaſticum*: c. ſancitum eſt. cauſ. 23. quæſt. 8. Hæc, quia beneficia ſunt, quibus commodiùs & honeſtiùs in Rep. vivant Clerici, eorum fructus & emolumenta, principibus ſervire nihil vetat, quare in eodem dicti Concilii Canone ſtatutum eſt vt, *Si præter decimas oblationes, & domos Eccleſiæ contiguas aliquid amplius habuerint presbyteri, indè maioribus, ſeu ſenioribus debitum ſervitium impendant*. Et in additionib' ad can. 20. cauſ. 23. quæſt. 8. ait *Gregorius Quoſdam Epiſcopos Leviticâ portione contentos eſſe, de decimis ac primitiis viventes, & hos tanquam ſummi Regis filios, in omni Regno a terrenis exactionibus liberos eſſe, Sed alios qui non contenti decimis & primitiis, prædia, villas, caſtella & civitates poſſident, ex his* Cæſari *debere Tributa, niſi imperiali benignitate immunitatem ab huiuſmodi promeruerint, quia ijs a Domino dicitur, Reddite quæ ſunt* Cæſaris Cæſari, & ab Apoſtolo, *Reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*: Verùm, Sacra non minus quàm Civilia, quandocunque Regis aut Reip. poſtulat ſalus aut neceſſitas, Tributi pendendi onere liberanda non eſſe tuemur.

Si quæ igitur ſit Clericalis exemptio, non niſi ex Principum eſt gratiâ, quos aut fuiſſe aut futuros eſſe

ſibi tam iniurios, vt ſponte voluerint, ſuo in Clericos imperio eorumque in bona jure ſeipſos exuere, (licet Clericalia aliquando bona immunitatis privilegio munierint, & in cauſis nonnullis, a Judicum & Magiſtratuum civilium judicio perſonas Eccleſiaſticas, ab Epiſcopis tamen vt Principum delegatis judicandos, exemerint) non facilè ego crediderim, Et ſi quos contingat eo vſque a cæcâ ſuperſtitione abripi, Conſtanter pernego jure eos poſſe, ſibi ſuiſque ſucceſſoribus, contra jus divinum Clericorum ſubiectionem imperans, vel poteſtatem, vel poteſtatis exercitium adimere, niſi poſſe Regem, ex Rege non-Regem ſe facere, perq; deputatum a Deo officium, quæ ſunt contra officium, inſtituere ponatur; Quod qui fieri poſſit mihi perſpectum non eſt, quum eſſentia Regis ſit, quà Rex eſt, vt omnibus juſtitiam poſtulantibus contra omnes miniſtret; Et Tria ſint authoritati Regis intrinſeca, nempe Jus Præcipiendi, Judicandi, & Puniendi, in quibus vt non præſcribi a ſubditis, Ità nec dari poteſt ſubditis immunitas, nempe ab obedientiâ Regi præſtandâ, ab eius correctione, vtque ad Regem appellari non poſſit, quia sìc renuntians toti ſuo juri Rex, deſineret Rex eſſe & eiuſmodi habente immunitatem Clero, quæ comitem haberet impunitatem & libertatem, Principatuum induceretur pluralitas, quam impoſſibilem humanæ quieti demonſtrat *Marſilius Patavinus*, lib. quem defenſ. pac. inſcripſit. Atque hæc paucis de ſuppoſititiâ Clericorum exemptione, rerumque Eccleſiaſticarum immunitate. Sequeretur, jam finitâ Regiæ, quæ ab ipſo Rege exercetur, juriſdictionis explicatione, de eâdem, vt a Regis exercetur vicariis, verba faceremus, niſi priùs enodandæ eſſent quædam de dicto Regis circa Eccleſiaſtica Primatu difficultates.

Dubia quædam contra Eccleſiaſticum Regis Primatum propoſita, eorumque ſolutio.

Cap. IX.

PRimum hìnc oritur dubium, quòd Sacerdoti Lex tradita fuerit, & a Sacerdote requirenda ſit. Malach. 2. 7. Negamus indè probari, fuiſſe Sacerdoti ſoli legem traditam, niſi hoc reſpectu, nimirum, ut ejus labia obſervarent ſcientiam, & ex eius ore requireretur Lex, atque Angelus *Iehovæ* exercituum eſſet, Et sìc quidem fatemur Sacerdotibus ac paſtoribus ſolis datam eſſe Dei legem ſeu verbum, ut eorum ſit illud annuntiare, Non colligi quicquam, Pontificis quod ſtabiliat ſeu Eccleſię, vel Principis evertat Primatum, quia verbi, non miniſterialiter pręedicandi, ſed authoritativè conſervandi actu, & relligioſarum ac ſacrarum actionum non executione ſed ſanctione Primatum metimur ac definimus, Atque huius rei commiſſio non Sacerdoti ſed Regi data, Etenìm datum fuiſſe Magiſtratibus verbum, ut illius eſſent Cuſtodes & vindices, & propterea Deos fuiſſe appellatos ſignificat Chriſtus, Ioan. 10. 35. Unde *Auguſtinus* ad Epiſcopos *Tyri* congregatos Paſtorum eſſe ait Τα μυςηρια της ευμενειας τȣ Θεȣ ᾗ τα αγια μυςηρια της εκκλησιας αυτȣ προβαλλεσθαι non φυλαττειν. proferre ſeu proponere, non, cuſtodire *Socrat*. lib. 1. c. 34. & *Sozomen*. lib. 2. c. 28. At qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio morte morietur ille homo Deutron. 17. 12. Itaque in nullâ licuit cauſâ, a Sacerdote, tanquàm penes quem fuerat tàm civilis quàm Eccleſiaſtici imperii ſumma, appellare: Indè demonſtrari inficiamur Pontificis in Rep. Judaicâ primatum, niſi & eâdem ratione, Judicis concedatur

primat-

Wemyss, Sir J.

primatus, duoque in eâdem Republicâ ſupremi fuerint gubernatores, quum & qui Judici, non minùs quàm qui pontifici non auſcultaverint, teſte ibidem *Moſe*, morte morituri eſſent, quemadmodum non minùs Judicem quam Sacerdotem adire, & ſententiæ, a Judice non minùs quám a Sacerdote prolatæ parere juberentur dubitantes, dict. cap. verſ. 8. 9. 10. Atqui hinc videri poteſt, poſtremum in cauſâ relligionis cognitorem fuiſſe pontificem, ſicut in civili Judex fuit? Neque illud ſequitur, namq; eo in loco declaratur quę futura foret in Rep. Judæorum ordinaria controverſias determinandi ratio, per Synedrii, ſcz. *Hieroſolymitani* judicium, cui ut plurimum acquieſcere contendentes oporteret, quòd libera ab omnium judicum conſeſſu ad Reip. ſemper Principem provocatio, & Reip. civibus & principi moleſtiam allatura eſſet, quam ob cauſam etiam-dùm in Monarchiis, Senatus ſunt juridici, quorum non ſolent decreta appellationis beneficio ſeu incommodo a Monarchis reſcindi, quo non obſtante, quia delegata eſt a Monarchis, Senatorum poteſtas, poſſunt à Monarchis ſupplicationis beneficio retractari, quæ in Senatibus geſta ſunt, ſi extraordinaria appareat Senatorum iniquitas: Atque id indicant *Moſis* verba, *Ex præſtituto legis quam docuerint, & ſecundum judicium quod dexerint judex & Sacerdotes, faciendum eſſe* edicentis. dict. cap. verſ. 11. Et *eum qui commiſerit per ſuperbiam ut non auſcultet Sacerdoti vel Iudici morte puniendum eſſe*. verſ. 12. Neque verò ſuperbit, qui inſigniter illegittimo iniuſtoque Sacerdotis judiciſvè placito non obediens, ſupplex Principis opem implorat; Si inſtet quis, dicens, neque sìc Principis tribunal eſſe, ut ità loquamur, inappellabile, cùm &

illius iniquo judicio obedientiam detrectare fas ſit? Eſto, Non tamen præter Deum eo datur ſuperior aliquis cuius authoritate & viribus impediri poſſit latæ ab eo ſententię iniquę effectus, cuiuſmodi fuit ſupra pontificem & iudicem princeps, ex quò, directus Judæorum dominus eſſe, Deus deſierat: Denique ut omnis tollatur dubitandi ſcrupulus, Obſervandum, Tribunal illud, unum fuiſſe, non duo, cuius etiamſi duos concedatur fuiſſe Præſides, in negotiis Jehovæ Pontificem, & in negotiis Regiis Judicem, tamen collegiali conſenſu definitas fuiſſe in eo cauſas omnes arbitramur, Etenìm cùm Lex tàm civilis ſeu Iudicialis, quàm Cæremonialis & moralis fuerit divina proindè Theologiæ pars, Sicuti tàm in civilibus, quàm in cæremonialibus & moralibus iudicare, Sacerdotum, Ità de cæremonialibus ac moralibus æquè ac de civilibus cognoſcere, judicis & Seniorum fuiſſe cur dubitemus? Fortè, quòd Sacerdotibus maiorem contulerit Deus cognitionem, (ut pote quorum in labiis cuſtodiendam, non prædixerit ſed præceperit legis ſcientiam) ex Sacerdotali ut plurimum interpretatione, dependebat cauſarum pręcipuè cæremonialium deciſio, Sed, non probat illud neceſſariò, Solis in Sacerdotibus, non etiam in Senioribus fuiſſe judicandi de cauſis illis poteſtatem: Quod ſi ergò, indifferenter omni de cauſâ cognoverit Synedrium illud & Senatus, pro diſtinctâ eâque ſupremâ Sacerdotum cauſis in Eccleſiaſticis cognitione juridicâ, invalidum inde argumentum ſumitur.

Secundum hìnc oritur dubium, quòd, Eccleſiæ eſſentiale ſit Sacerdotium, accidentale Regnum, quia regno carere poteſt Eccleſia, non Sacerdotio: cuius argumenti videtur hæc eſſe vis, non eſſe Regi (cui tantum

Wemyss, Sir J.

tantùm accidit de Eccleſiâ eſſe) committendam ſupremam Eccleſię gubernationem, Reſpondetur rarò vel nunquam contingere, ut civili deſtituta ſit regimine Eccleſia, proindè Rege careat, aut eo iiſvè, qui regiam ſimilemvè poteſtatem habeant; hìc verò diſcutiendum erit, An Regibus quà Reges ſunt, ideoque omnibus competat in Eccleſiam juriſdictio; Noſtra eſt opinio, Regi omni eam conferri poteſtatem per regium quod a Deo habet munus, licet Regi tantùm Chriſtiano aptitudo eâ rectè utendi, Chriſti gratiâ donetur, Tametſi Primatus Eccleſiaſtici jus perfectiùs adminiſtret Rex Chriſtianus, juſtam quam dedit Deus authoritatem, ſecundum gratioſam quam a Chriſto accepit facultatem debitè exercens, Primatus tamen jus, officii ſeu vocationis, non facultatis aut exercitii ratione obtinere regem; Neq; enim eſt vocati ad Regnum virtus, ſed Dei vocantis voluntas, quę Regię authoritatis cauſa eſt, ac non magis, novum in Eccleſiaſticis acquirit jus qui ex non ſapiente fit ſapiens, quam in civilibus, qui ex non prudente evadit prudens, idem non plus operante quoad Eccleſiaſtica relligionis ac Theologiæ, quam quoad civilia juſtitiæ ac juriſprudentiæ habitu, Et quæ Regi ſupervenit gratia, Regem, regiamque in eo poteſtatem perficit, Regem aut regiam poteſtatem non facit, Indè eſt illud *Tertulliani* in Apologet. Chriſtianorum alloquentis accuſatores, *Noſter*, inquit, *potiùs quam veſter eſt Cæſar*, quùm tamen Infidelis hic eſſet: Alioqui etiam, jus non fuiſſet *Nabuchadonozori*, *Cyro*, & *Dario*, de colendo Deo vivo ſcita edere, nec Regi *Ninivæ* Civibus pœnitentiam indicere, Imò nec Chriſtiani Principes pupilli Regiam aut in Eccleſiaſticis aut in civilibus poteſtatem haberent: At aiunt multi non

indocti regiæ gubernationis obiectum, eſſe homines quà homines, non quà Chriſtiani ſunt: Quam non probamus diſtinctionem, neque enim qui gubernantur, aut quà homines aut quà Chriſtiani, ſed quà ſubditi gubernantur, ac Regis eſt cuiuſcunque, ſubditos ſuos omnes facere Chriſtianos, & ſi Chriſtiani jam ſint, in Chriſtianâ eos fide promovere, quemadmodum ait, Gloſſa ordinaria (ſuper hæc verba, *Super Iſrael*, cap. 17. Deuter. verſ. 20.) Regum fuiſſe Judaicorum regnare ſuper Iſrael, id eſt, ait Gloſſa, *regnando facere Iſrael*, ſcz. *Deum videntes*. Quare ſi Rex, primatus Eccleſiaſtici capax, etiam ſit quandò in Eccleſiâ ſeu de Eccleſiâ non eſt, poteſtatem non repellente, nec expellente, gratiæ internæ, nedum profeſſionis externæ defectu, concludimus, ut Regibus Chriſtianis, relligionis Chriſtianæ, ità Regibus ſimpliciter, relligionis ſimpliciter curam, & regibus Chriſtianis non quà Chriſtiani, ſed quá Reges ſunt, incumbere, Nihilque eſſe abſurdi, ut Rex qui accidentaliter Eccleſiæ membrum, in Sacerdotem (qui ut loquuntur adverſarii eſſentialiter eſt) poteſtate potiatur.

Tertium dubium ſubminiſtrant Chriſti verba Math. 18. 17. Eccleſiæ, id eſt, Præſulibus Eccleſiaſticis, dicendum eſſe præſcribentis, quod peccat fratrum unus contra alium, eorumque judicio, nobis Ethnicum eſſe debere contumacem; Si namque ſuprà Eccleſiam (aiunt Adverſarii) futurus fuiſſet aliquis, & iſti dicendum fratris Eccleſiam non audientis delictum edixiſſet Chriſtus, & ad iſtum provocatio ab Eccleſiâ fieri potuiſſet: Dubitant plurimi quid Eccleſiæ vocabulo ibi ſignificetur, Arbitrantibus nonnullis per Eccleſiam denotari Synedria Iſraelitica, & deſcribi a Chriſto ſervandum ab ipſius diſcipulis privatas per-

ſequendi

Wemyss, Sir J.

ſequendi actiones ordinem, ut ſcz. ſi, iniuriam paſſi fratrumque monitionem, & judicum patriorum ſententiam contemneret qui iniuriam inferret, ad Cæſarem, eiuſvè procuratorem (qui ſolus propter capitale Judæorum in Ethnicos alienigenas & in Publicanos, Romanorum officiales odium, Imperatoris Romani Judæam ſubiugantis mandato fuit Ethnicorum ac publicanorum Judex) iſte pertraheretur; Aliis nec immeritò cenſentibus non niſi minora & ſecreta peccata puniendi regulam præſcribi, cuiuſmodi nulla, pro publicorum maiorumque criminum correctione in Dei verbo inſtituatur: Recipientes verò adverſariorum interpretationem (quæ plurimorum eſt Orthodoxorum) Eccleſiæ verbo ſignificari eos exiſtimantium, qui ſpiritualem habent diſciplinæ Eccleſiaſticæ poteſtatem, & inſtitui a Chriſto iudicialem, in puniendis ſcandalis quibuſcunque apud Tribunal eccleſiaſticum procedendi formam, ut nimirùm qui poſt privatam charitatis expoſtulationem leſæ fratris conſcientiæ ſatisfacere aſpernaretur, Senatus eum Eccleſiaſticus (aut Eccleſia per Præſulem repreſentata) ſi Eccleſiam non audiret, e communione fidelium, inter Ethnicos & publicanos qui ſcelerati habebantur, numerandum, expelleret; Reſpondemus, non continuò habendum eſſe Ethnicum in quem ſententiam tulit Eccleſia, cùm, ex ipſorum pontificiorum confeſſione, poſſit iniuſta aliquandò eſſe Eccleſię excommunicantis ſententia, ſic enim Sententiarum Magiſter lib. 4. diſtinct. 18, c. f. *Non ſemper* (inquit) *Sequitur Deus Eccleſiæ judicium quia per ſubreptionem & ignorantiam interdùm judicat, Deus autèm ſemper judicat ſecundum veritatem.* Item, eâdem diſtinct. c. h. *Quos* (inquit) *ſecundùm merita ſententia Eccleſiæ percellit, eos ledit, &*

 foris

foris ſunt apud Deum, qui autèm non meruit, ſententiâ Eccleſiæ non læditur: Quo caſu, non habere, iniuſtè ab Eccleſiâ iudicatos, ad quem recurrere poſſint, ut ab eo releventur, Chriſti juſtiſſimi placitum non fuit; Undè, ab Eccleſiâ *Gallicanâ* habitus ſemper eſt Princeps appellationum (quas ab abuſu vocant) Judex: Verùm, poſſunt quidèm ſinguli per ſe Sacerdotes (quorum plurimos, non habere diſcernendi ſcientiam agnoſcit Sentent Magiſter lib. 4. diſtinct. 19. c. 2.) ſed non poteſt concilium, Eccleſia repreſentativa, iudiciariâ abuti poteſtate? Et iſtud noſtram comfirmat magis opinionem, Quùm enim, ſpiritualis in unoquoque paſtore iuriſdictionis author, immèdiate ſit Deus, æquales ſunt quoad eam omnes paſtores eaque a ſingulis per ſe exerceri poteſt, ut exercuit Apoſtolorum quiſque, Quęque Synodalis eſt authoritas approbandi aut reprobandi procedentia ab iſtâ iuriſdictione paſtorum decreta, in Principe aſſeſſores habente Concilii Patres, primariò & principaliter ſita eſt, nam nullo in Scripturis mandato ut antè dictum, nititur concilia celebrandi mos, ſed a Principibus, Eccleſiæ curam ſuſcipientibus, & cùm non eſſent Principes de eâ ſollicìti, a paſtoribus ipſis volentibus ortum habuit: Quod ex Chriſti verbis elicitur, eſt, quem iuſtè iudicat Eccleſia pro Ethnico & publicano habendum eſſe, & sìc abſque ulteriori progreſſu, Eccleſiæ iudicio acquieſcendum, quia iubet Chriſtus, ut mihi ſit ſicut Ethnicus & publicanus, qui cùm in me peccarit, Eccleſiam eum lucrari conantem cùm contemptu audierit; Et tantum abeſt ut obſtet illud Principis eminentiæ (quem haud neceſſariâ moleſtari appellatione nefas) ut eam profectò in ſe venerandam magis eſſe, oſtendat; Quarè miramur

mur multùm, ex eo credere pontificios refelli Principis primatum, quòd prohibiti fuerint Clerici Imperatorem adire. Concil. *Antiochen.* capp. 11. & 12. & Concil. *Aquiſgran.* cc. 73. & 74. Quibus ſtatuitur Canonibus, ut, ſi a civili Judice, injuſtè ſe judicatum reclamaret clericus, non antè ad Imperatorem pergeret, quàm ab Epiſcopis Metropolitanis neceſſaria deprehenderetur quærimoniæ cauſa, quo caſu, proficiſcentem ſuis ad imperatorem Epiſtolis proſequerentur, Et ſi ab Epiſcopo Presbyter aut Diaconus, vel a Synodo Epiſcopus eſſet damnatus, ad maiorem ſe converteret Epiſcoporum Synodum, Illorumque præſtolaretur judicium, priuſquam Imperatoris opem imploraret; Adeòque vetant Canones illi, ne de Judicibus civilibus temerè ſine cauſâ neceſſariâ conquærentes clerici Imperialibus auribus moleſti, vel, a Judicibus Eccleſiaſticis, non expectatâ intermediorum ſententiâ ſtatìm ad ſupremum principis Tribunal provocantes, importuni ſint, ut evidens eſt ex Concilii *Antiocheni* c. 12. cuius hæc ſunt verba: *Si quis a proprio Epiſcopo depoſitus Presbyter vel Diaconus, aut etiam ſi a Synodo quilibet Epiſcopus fuerit exauctoratus, moleſtiam Imperialibus auribus inferre non præſumat, ſed ad maiorem Epiſcoporum Synodum ſeſe vertat & quæ ſe putat habere juſta in eorum Concilio alleget, atque ab his de ſe exſpectet, quæ fuerit deprompta ſententia, quod ſi deficiens puſillanimitate hoc noluerit facere, ſed Imperatori fuerit impotunus, huiuſmodi nullam veniam habeat.* Quibus nihil minus voluere Patres quàm ſummam imperatoris in Eccleſiâ authoritatem improbare.

Quartum exſurgit dubium e *Conſtantini* verbis, qui in Concilio *Nicæno* de Epiſcoporum cauſis Judicare

renuens, ait ab hominibus judicari eos non poſſe, Quibus ex verbis, ſi a *Conſtantino*, vt refert *Ruffinus*: prolata fuerint, rationem contrà Principis jus eruere ridiculum eſt, quicquid ſentiant alii, magni etiam nominis viri, quia indubium eſt, ex ignorantiâ Juris Regii ea protuliſſe *Conſtantinum*, quùm non modo ad ſe pertinere negaverit jurgiorum Epiſcopalium quæcunque illa eſſent, cognitionem, ſed etiam Epiſcopos affirmaverit a Deo illi datos fuiſſe Deos, & ab eo ſolo judicandos, de quo ſcriptum eſt, *Deus ſtetit in Synagoga Deorum*; Etenim ſi Epiſcopus quis, atrox aliquod in alium Epiſcopum, fortè ipſum in Principem, perduellionis crimen commiſit, de quo eum accuſet alius Epiſcopus, non poſſe jurgium illud inter Epiſcopos a Principe cognoſci, ſed oportere ad divinum ſolummodò examen reſervari, nemo prudens dixerit; Et nova erat Theologia, Epiſcopos Imperatori datos eſſe Deos, contrà, docente Deo ipſo, Sacerdoti *Aaroni* in Deum fuiſſe *Moſem* Principem Exod. 4. 16. Intelligentibus quoque Theologis pſalmum 82 ex quo verba deſumpſit Imperator de ſæcularibus Principibus, non Eccleſiaſticis Præſulibus. Sed quid mirum ignoraſſe jus ſuum in Eccleſiaſticis, *Conſtantinum* tùnc Neophytum, ab Epiſcopis tamen agnitum, libellos ſupplices, quibus de injuriis invicem expoſtulabant, *Conſtantino* in eâ Synodo *Nicænâ* præſidenti offerentibus; Quod & ipſe poſteà voce ſeu verbis eſt profeſſus, quum Epiſcopos convivio exciperet, ad eos dicens ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθιςαμενος ἐπίσκοπος. *Euſeb.* de vitâ *Conſtantin.* lib. 4. Et cùm ad Synodum *Tyri* ſcriberet, ſic alloquens Epiſcopos, λοιπὸν ἐςὶ τῆς ὑμετέρας ὁσιότητος ἔργων ὁμογνώμονι κρίσει μήτε πρὸς ἀπέχθειαν, μήτε πρὸς χάριν ἀκολούθως δὲ τῷ ἐκκλησιαςικῷ

σιαςικῳ ϗ ἀποςολικῳ κανονι τοις πλημμεληθεισιν, ἐιτ' ὖν καὶ τα σφαλμα συμβεβηκοσι την ἁρμοτ]8σαν θεραπειαν ἐπινοησηται, ινα (inquit) τας εμας αποκȣφισητε φροντιδας. *Theodoret.* lib. 1. cap. 28. Ubi videre eſt exiſtimaſſe Imperatorem, a Deo conſtitutum ſe Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum judiciorum inſpectorem, quæ ſi ſincerè ac prudenter adminiſtrarent Eccleſię præſules, allevarentur illius curæ; Quin etiam jus illud factis & reapſe exequutus eſt, Nam *Athanaſium* accuſantibus apud eum *Euſebio* aliiſque Epiſcopis, quâſi ſciſmatis authorem, quòd eos qui ad Eccleſiam vellent accedere, prohiberet, & illegittimas horum ordinationes, novandique ea quæ in *Nicæâ* decreta fuerant ſtudium, fidemque non ſanam indicante *Athanaſio*, hæſitans cuinam crederet Imperator, tamen de populi & Eccleſiæ vnanimitate valdè ſollicitus, *Athanaſio* pręcepit, ne quem ab acceſſu Eccleſiæ *Alexandrina* prohiberet, ſed liberum permitteret ingreſſum, quòd ſi non faceret, miſſurum ſe minatus eſt e veſtigio aliquem, qui imperiali authoritate illũ deponeret, & aliò transferret, *Socrat.* lib. 1. c. 27. & *Sozomen.* lib. 2 cap. 22. Atque ad Epiſcopos Synodaliter in *Tyro* congregatos de cauſâ ejuſdem *Athanaſii*, qui de iis conquereretur ſcribens, juſſit, *Ut properanter ad Reverentiam ſuam venirent, ac geſtorum ſuorum accuratam rationem per ſeipſos redderent, ſibi perſuadentes, totis eum viribus conaturum efficere, ut quæ in lege Dei comprehenſa, cuncta ſingulari ſtudio, & illibatè ſervarentur, quibus neq; vituperium, neq; infamia aliqua illini poſſet, diſſipatis viz. legis inimicis qui ſub prætextu ſancti nominis varias blaſphemias excitarent.* Socrat. lib. 1. c. 34. & *Sozomen.* lib. 2. cap. 28. Atqui requiſitus *Conſtantinus* vt de *Cæciliani* cauſâ cognoſceret, bis recuſavit, & Eccleſiaſticorum cognitioni rem reliquit integram

Etiamſi noluerit ipſe initiò judicare, Tamen Eccleſiaſticis judicandi poteſtatem commiſit, & poſtremò de re totâ ipſe cognovit, ſententiamq; tulit; At coactè, & veniam petiturus ab Epiſcopis ait *Auguſtinus*? Certè vel jus ſuum nec tùm ſatis cognovit *Conſtantinus*, vel ipſius verba, ineptitudinem ad ritè judicandum, non defectum in eo poteſtatis judicandi ſignificarunt, Et vel ignorans jus ſuum, *Donatiſtarum*, qui cauſam ad eum deferrent factum ſimpliciter reprehendit, vel deſiderans in ſe judicandi facultatem, facti, audacem tantùm imprudentiam coarguit, quòd Eccleſiaſticorum, ejuſmodi judiciis aſſuetorum non acquieſcentes definitioni, ei moleſti eſſent: Et ideò noluiſſe de Patribus *Nicænis* judicium ędere videtur *Conſtantinus*, non quòd putaret, non poſſe eos ab ipſo judicari, ſed vt innueret debere ita ſe gerere Eccleſiæ Patres, ut non judicentur, & ne illorum exorbitatione, ſi per judiciale examen nota fuiſſet, offenſi alii, ad delinquendum audaciores redderentur, *Theodoret*. lib. 1. c. 11. & *Sozomen*. lib. 1. c. 17. *Quà de cauſa libellos accuſatorios comburi fecit*, aiens ſe, *ſi forte oculis conſpexiſſet ſuis Epiſcopum alienum torum labefactare, purpurea ſua veſte objecturum illegittimum illud factum, ne videntes læderet, eorum quæ fierent, aſpectus*. *Theodoret*. lib. 1. cap. 11.

Ultimum miniſtrant dubium D. *Ambroſii* verba, qui, in libello quem Imperatori *Valentiniano* juniori obtulit, Imperatorem dicit, *In iis quæ Domini ſunt nullum imperiale jus habere. & Judicia Eccleſiaſtica non ad Imperatorem ſed ad Epiſcopos pertinere*, Eoque magis, quòd *Valentinianus* Senior lege Sanxiſſet, *In cauſa fidei vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis judicare debere Epiſcopos:* Quam ob cauſam, ut *Valentinianus* Senior judicare inter Epiſcopos de fide altercantes noluit, Ità *Valentiniani*

Wemyss, Sir J.

lentiniani Junioris judicium de fide, *Ambroſius* declinavit: Ut prius ad illud *Conſtantini*, ſic ad iſtud *Ambroſii* teſtimonium paucis reſpondetur, Non tàm iuris quod habebat validitati, quàm iudicii imbecillitati diffidiſſe *Valentinianum* Patrem, (quod monſtrant *Ambroſii* verba lib. 5. Epiſt. 32. dicentis, *Putaſſe Imperatorem, inhabilem ſe ponderi tanti iudicii eſſe*) & veritum *Ambroſium*, ne *Valentinianus* filius, adoleſcens, (ut idem teſtatur *Ambroſius* lib. 5. orat. contra *Auxent.*) κατηχούμενος, & ſacræ lectionis ignarus, imò hæreſi *Arriana* infectus, legittimo eſſet iure iniuſtè uſurus, noluiſſe in Imperiali palatio coram Ethnicis & Judæis fidei cauſam in periculum adducere; Atque ut ut ſit, Confitemur, remiſſiùs aliquandò quàm conveniret, ius ſuum proſequutos eſſe Imperatores, multa, ex pietate, non ex officio, ad reverentiam miniſterio conciliandam, non ad poteſtatem ſuam negandam, dicentes, Et intentiùs quàm oporteret cùm dictis tùm factis privilegium ſibi vendicaſſe Epiſcopos; Nam ſub *Valentiniano* Seniore, quia cognitionem de fide declinavit, *Arriana* viguit hæreſis, & quod fecit *Ambroſius*, idem facere potuiſſet hæreticus *Auxentius*, ſi *Ambroſio* eiuſque cauſæ valere *Valentinianum* Juniorem perſpexiſſet: Mihi videtur regiè loquutus eſſe *Theodoricus Gothorum* Rex (in epiſtolá ad *Adilam* Comitem, quę a *Caſſiodoro* intexitur libro ſuo ſecundo variar.) *Euſtorgii* inquit, *Epiſcopi ſanctæ* Mediolanenſis *Eccleſiæ precibus moti, præſentibus te cohortamur, ut prædiis vel hominibus Eccleſiæ illius intrà* Ciciliam *conſtitutis tuitionem ſtudeas ſalva civilitate præſtare, nec a quoquam cuiuſlibet nationis homine contrá fas patiaris opprimi, quos decet Divinitatis intuitu ſublevari, ſic tamen ut cauſis publicis & privatis, quæ contra eos rationabiliter*

 proponuntur

proponitur, reſpondere non differant, quia ſicuti nolumus eos ab aliquo prægravari, Ità exemptos a tramite iuſtitiæ non patimur inveniri. Et mihi non diſplicet placitum illud primum Parliamti 8. Jacob. 6. Quo non tantùm Regia ſupra omnes Regni Status eminentia & authoritas confirmatur, ſed etiam, cujuſcunq; ſit ordinis, qui Regis Regiivè Senatus ſeu Concilii judicium declinat reus eſſe perduellionis declaratur.

Ut denuò finiamus quæſtionem de Principis Primatu Eccleſiaſtico, Lectori quaſdam diſtinctiones, quæ omnem in eâ difficultatem amovere poſſint, commendabimus: Eccleſiæ Regimen aliud eſt Regale, aliud Epiſcopale, Illud eſt gladii extrinſecùs coactivum & corporale, Iſtud clavium voluntarium & ſpirituale vel ſi libet cum *Conſtantino* Principem vocare Epiſcopum, Regimen Epiſcopale aliud eſt, τῶν εισω της εκκλησιας id eſt, Eorum quæ immediatè internum ſpectant hominem, fidem, putà & recipiſcentiam, miniſtratio & hæc Paſtorum eſt, Aliud eſt τῶν εκτος, id eſt Eorum quæ extrinſecè, etiam circa τὰ εισω adminiſtranda ſunt, directio, atque hæc Principis eſt, Ut circà idem objectum ſecundùm modos diverſos occupetur Principis & Paſtorum ἐπισκοπη, His ſpiritualia miniſtrantibus, Illo vt ritè eadem miniſtrentur dirigente, quod cauſæ eſt, cur Princeps ſicuti Paſtor, a *Paulo* διακονος, & λειτȣργος τȣ͂ Θεȣ͂, Rom. 13. 4. & 6. & ab *Iſaia*, Nutricius Eccleſiæ appellatur, *Iſaia*, 49. 23. Deindè, Poteſtas, ſeu εξȣσια alia eſt υπεροχης alia αρχης, illam Paſtor, hanc Princeps habet, Paſtoris quidem Deo per Spiritum gratiam internam operanti, Myſteriorum divinorum adminiſtratione cooperantis, excellentior eſt actio; Principis verò, externam Myſteriis reverentiam, atque obedientiam, legum, judiciorumque

vigore

emyss, Sir J.

vigore procurantis, imperio magis pollet; Illius miniſtratione, immediatè & directè, ſpirituales & inconſpicui, Hujus authoritate corporales & conſpicui producuntur effectus; Paſtor ſpiritualis gratiæ, Princeps corporalis obedientiæ reſpectu, major; Perſonalis vt ità dicam, miniſtrationis intuitu Paſtor, authoritativæ inſpectionis Princeps eſt ſuperior; Denique, quoad immediatum effectum, nobilior eſt Paſtoris, quoad agendi modum illuſtrior Principis actio. Atque hactenùs dictum eſto, de Rege juriſdictionem per ſe-ipſum exercente, Nunc, de Regiis in exercendâ juriſdictione vicariis, verba faciamus.

De Magiſtratibus, ac Judicibus Eccleſiaſticis & Civilibus.

Cap. X.

REgis in adminiſtratione juriſdictionis Vicarios, Alios dicimus eſſe Magiſtratus, Alios Judices, Si qui alii præter eos videantur Juſtitiæ adminiſtri, ii Jus propriè non dicunt, ſed aut in quos dicendum eſt prehendunt aut in eos dictum executioni mandant, aut eorum quę ad judiciales tendunt proceſſus præparatores aut ſententiarum judicialium executores; De Judicibus ac Magiſtratibus dicturi, poſſemus de variâ eorum in quâque Rep. præſertim apud *Romanos* juriſdictione, jucundum admodùm præmittere ſermonem, niſi quam inſtituimus ſuccincta tractandi ratio nos prohiberet; Ideòque ea per indicem monſtrare contenti erimus,

quæ Magiſtratibus ac Judicibus quatenùs, a Rege pendent convenire intelligemus, pro inchoato tractationis more, breviter oſtenſuri, Quis eos conſtituat, Qui conſtitui poſſint, Quo modo, & Cur conſtituantur.

Quòd ad Conſtituentem, Fons omnis iuriſdictionis ſub Deo eſt ſummus quiſque Imperans, Judices enìm ac Magiſtratus creandi authoritas, ſupremæ potestatis ſignum eſt, Ità vt in Monarchiâ a Rege ſint Magiſtratus omnes ac Judices; In civilibus, nemo, eſt qui dubitet, naturam rerumpp. ſibi perſpectam habens, vt ex ſacrâ liquet paginâ, *Moſem* authoritate ſuâ inconſulto populo præfecturas deſtinxiſſe, millenis, centenis, quinquagenis, ac denis præfectos conſtituentem; In Eccleſiaſticis etiàm quòd a Regis ſit conſtitutione Judicum authoritas, In *Ioſaphato* aliiſque Regibus cernere eſt, Nam 2. paralyp. 19, Conſtituit *Ioſaphatus* non modò ad res Regis, ſed ad res Domini, Judices, quibus de iudicii adminiſtrandi ratione præcepta dedit; Quòd ad Civitatum corporum ſeu univerſitatum & particularium perſonarum ius eligendi Magiſtratus ac Iudices, a Rege eſt, ex cuius ſtatuto & mandato id habent, Undè Cyrillus ad Imperatorẽ *Theodoſium* lib. de rectâ in Chriſtum fide. *Vos* (inquit) *eſtis omnium ſupremarum dignitatum fons, & ſupra omnem eminentiam, humanæq; fælicitatis Principium & origo*. Cùm ergo, Regis ſit, in ſuo regno Judices ac Magiſtratus conſtituere, qui ipſius ſint in iudicando ac iubendo vicarii, quemadmodùm vt hi non ex ſuo arbitrio, ſed Regis bene-placito iudicent ac iubeant, iis leges, quæ Regis delineent voluntatem, deſcribuntur, Poteſt Rex, iubendi iudicandique ius, ac Magiſtratus Judiceſq; conſtituendi poteſtatem inferioribus

concesſam

conceſſam, prout Regno utile eſſe, viſum ei fuerit, ab utentibus auferre, Et nulla propriè eſt ſub Rege iuriſdictio patrimonialis & hæreditaria, Rege ſolo iuriſdictionem tanquam propriam habente, aliiſque quibus eam (non dat, ſed) communicat tanquam depoſitam accipientibus, quod, vt oſtenderet Deus, (nimirùm in Judicibus ac Magiſtratibus referri Regis, cuius vice ius dicunt, authoritatem) de ſpiritu *Moſis*, Principis, accepit, & Judicibus ad *Moſem* in curâ populi iuvandum electis diſtribuit, Nume. 11.c.17. Igitur non vt terras ità iuriſdictionem ſimpliciter, &, vt loquuntur, privativè Rex alienare poteſt, niſi Rex eſſe deſinat: Num ergo, ubi Feudorum dominis conceſſa eſt ea iuriſdictio patrmonialis, a Rege revocanda eſt? Equidem vt de eâ quod res eſt dicamus, quia ſatis conſtat, ex quo in vſu fuerit, fuiſſe iuſtitiam non rarò malitioſè negatam, doloſè ſępiùs prorogatam, ac negligenter ſæpiſſimè ac inſcitè adminiſtratam, vt maior in iure dicendo ſinceritas ac diligentia adhibeatur, Inſtitui poſſunt, qui Regis ex commiſſione Judicaturi, Judices patrimoniales Cenſoriâ quaſi inſpectione obſervent, quęque ab illis in officii executione omittantur perficiant, quemadmodùm apud Nos prudentiſſimè inſtituit Rex noſter viciſcitudinariam annuamvè Eirenarcharum per provincias quaſq; iuriſdictionem, potiſſimùm ad Barbaros ac tumultuoſos Regnicolarum mores cohibendos, qui propter deſideratas in Judicib' ac Magiſtratibus hæreditariis diligentiam & ſinceritatem hactenùs viguerunt: Parliam. 20. Iacob. 6. c. 7. Neque obſtat, quòd, ob res præclarè geſtas ampliſſimam diù poſſederint iuriſdictionen Judices Feudales, qnia notum eſt ex iure perdi trifariàm privilegium, Si privilegiarius eo non vtatur, ſi eo abutatur, & ſi

utatur, ſed illius uſus Reip. præjudicio eſſe deprehendatur; Primo caſu inane, Secundo iniquum, & Tertio incommodum eſt, Et in omnibus, præſumitur, quòd Princeps in Privilegium non conſenſiſſet, ſi non-uſum, abuſum, aut damnum præſentiiſſet, hinc ait quidam, *Regula eſt inconvincibilis, quòd Privilegium quantumvis iure concеſſum, atque uſu & tempore confirmatum; ſtatim atq; incipit Remp. lædere, ipſo iure ceſſet.* Cùm privilegii cuiuſlibet potiſſimùm Juriſdictionalis, cauſa ſit, Utilitas publica, quam quòd aut provocaverit privilegiarius, aut impoſterùm veriſimiliter procuraturus ſit, meritò propterea præ aliis iure ſingulari a Rege donatus eſt; Quod autèm a Rege collatum eſt in aliquem beneficium propter inſignes fortè prudenterque ac fortiter in Regni bonum Regiſque honorem impenſos labores, aut ob ſpem de vtilitate publicâ ab eodem ſtudioſè deinceps procurandâ conceptam, illud in Regni perniciem, Regiævè poteſtatis imminutionem vertendum, & cùm ſic verſum vel potiùs perverſum fuerit, non eſſe invertendum ac tollendum, nemo prudens dixerit, Neque enim in cuiuſquam (nedùm Regni ipſius aut Regis) iniuriam beneficia tribuere moris eſt regii. gloſſ. vtilis. c. olim. ff. de verbor. ſignif. Prætereà licèt iuriſdictionis Feudo cuiuſquam annexæ dominium non niſi in Rege reſideat, feudique dominus ſit Regis tantùm mandatarius, iuriſdictionis cõmoditas cum Feudi domino permanere poteſt, vt commiſſâ aliis a Rege iuriſdictionis inſpectione, parùm patiatur præiudicii Feudi poſſeſſor: Deindè ex dictis liquet cõſtitutos ſub Rege, principe ſupremo, Judices ac Magiſtratus, Duces videlicet Marchiones, Comites, Vicecomites, Dominos, Barones, alioſque Regni, vt loquuntur Feudiſtæ, Capitaneos

neos, Non eſſe ex eorum numero qui Ariſtocratiam conſtituant, quùm clientes ſint ſeu vaſalli Regii, qui Regis beneficio accepta ferre debent, quæcunq; dignitatis aut juriſdictionis privilegia habent, quibuſque non niſi ut a Rege creatis ipſius vicariis obtemperandum eſſe docet Apoſtolus *Petrus*, Epiſt. 1. cap. 2. 13. 14. Subiici jubens omni humanæ creaturæ, ſive Regi ut ſupereminenti, ſive Ducibus, ut a Rege miſſis; Qui idcircò nequeunt, ut volunt Monarchomachi, in Regem ſine læſæ Maieſtatis reatu animadvertere, Neque enìm ad reprimendum vel opprimendum Regem adhiberi poteſt ipſius Regis poteſtas, aut in vicariis ſuis ſibi Judex eſſe poteſt Rex: Sed de hoc poſteà.

Conſtitui poſſunt Judices, quicunque in Rep. cives ſunt quos protectionem aliaque beneficia a Rege accipientes, publica ea munera, quibus Regi ad regni bonum ſervire poſſunt, recuſare, impiæ, eſſet ac non ferendæ ingratitudinis & contemptus; Sed quia magna debet eſſe Regis, dominorumque ſub eo juriſdictionalium cura, in idoneis eligendis Judicibus, non erit ab inſtituto noſtro alienum, non-nihil de Judicum virtutibus hic inſerere. Eas complectimur Nòs, Scientiâ (cui Conſcientiam adiungimus,) Experientiâ, & decorâ Eminentiâ; Scientiæ & Conſcientiæ ſalem ait *Baldus*, lib. 2. Cod. tit. de Sentent. debere Judicem in mente ſuâ habere, ne ſine Scientiâ brutaliter, & ſine Conſcientiâ Diabolicè inſipidus ſit. Et qui, quæſo, Jus dicere & exequi poterit, qui Juris non habet cognitionem, et quomodo Juſtitiam ſincerè adminiſtrabit, qui ſceleroſus eſt? Dignoſcitur autem Scientia ex Doctorum Juris approbatione, aut publicâ Juris lectione, *Bartol.* l. magiſtros. Cod. de profeſſor., Ità

ut qui poſt examinationem in Academiâ aliquâ, gra dum in jure adeptus fuerit, aut gradu non inſignitus, jus tamen aliquandiù publicè docuerit, in ſcientiâ ſufficiens atque idonens ad jus dicendum præſumatur: Deindè, quia fallere poteſt illa præſumptio, Doctor enìm ſemel temerè approbatus, poteſt iterùm jure reprobari, l. 2. Cod. de profeſſ.; Et per memoriæ fœlicitatem Theoriâ juris inſtructus, prudenti poteſt carere judicio, quo eam praxi accōmodet. Requirimus in Judice Experientiam, ne præſumptione ſcientię aut falſâ, aut verâ ſed per ſe inſufficientis, ad officium Juris dicendi aſſumatur, qui per imperitiam, aut imprudentiam plurimos lædat, Undè benè proſpexit Impe rator, In authent. tit. de Judic. l. 1. collat. 6. vt in Judicem quidem inferiorem ſpectabilis antè advocatus In Judicem verò ſuperiorem eligendus inferior fuerit Judex, quò sìc, in Tribunali aliquo ſuperiore non ſederet, qui non priùs cum laude inferius aliquod occupaverit: Cupimus demùm in Judice Authoritatē ſeu Eminentiam, per quam, intelligimus, non, poteſtatem dignitatemque judicialem (quam Rex eligens cuivis communicat electo) ſed animi fortitudinem, corporiſq; geſtum decorum, quibus authoritatem eam a Rege cōmunicatam cum gravitate ſuſtineat, Cùm enìm eadem ſit, (vt ait *Innocentius* can. cum delectu, tit. de reſcriptis) ſicuti ſcientia & conſcientia, ſic etiam authoritas Judicis conſtituti & Regis conſtituentis, debitam idcircò poteſtati Regis immò Dei ipſius (cuius eſſe omne judicium ait *Ioſaphatus* Judices conſtituens) reverentiam indignâ Judicis puſillanimitate, ac non decente corporis habitudine impediri non convenit: Paucis, Eiuſmodi volumus conſtitui ju dicem, qui in exercitio judicialis poteſtatis, ante ju-

dicium

dicium, intellectus præjudicio, & in judicio, voluntatis inclinatione careat, vt poſſit, (quemadmodum jubet *Timotheum* Apoſtolus, Epiſcopalem juriſdictionem exercere, 1. Timoth. 5. 21.) *χωρὶς προκρίματος καὶ μηδὲν κατὰ πρόσκλισιν ποιεῖν.* Sed dolendum eſt, deſiderari ſæpe in conſtitutis dona prædicta, fallentibus Principem conſtituentem ſollicitatoribus, qui non Principis famæ, aut Reip. bono, ſed ſuo, & amicorum qui iis dependenter adhæreant honori & commodo conſulentes, Indignorum ſæpiùs promotionem cum Reip. detrimento, & eorum quoque qui promoventur dedecore procurant.

Hìc ſeſe offerunt diſcutienda, Dubia quædam, quibus videri poſſit non omnibus imponendum eſſe pro Regis voluntate, judicandi munus; Dubitatur primũ Si poſſint, qui Laici ſunt in ſacris non conſtituti ordinibus, Eccleſiaſtici a Rege conſtitui Judices? Iſtud non negaverint, niſi qui juriſdictionem Eccleſiaſticã non ipſi deferendam Regi volunt, Si namque eam habet Rex ipſe, eandem aliis mandare poteſt, Nec debent Laicis poteſtatem ſub Rege *δικαιοκριτικὴν* invidere qui ei in *νομοθετικῇ* eos facere conſortes non verentur; Quòd autem jure hoc delegationis Judicum in Eccleſiaſticis, reapſe vſus fuerit Imperator *Conſtantinus* aliique Principes, quę ſuprà diximus, evincunt: Et quod contrà ſentientes fallit, eſt, quia diſtinguere neſciunt inter Myſteriorum ſacrorum adminiſtrationem Spiritualemque juriſdictionem, quæ non niſi Paſtoribus a Deo demandata eſt, & judiciorum Eccleſiaſticorum procurationem ſeu juriſdictionem Eccleſiaſticam, quę Principis eſt, & ab eo aliis viris piis & prudentibus committi poteſt: Atque apud nos juxtà probatam veterum conſuetudinem, Epiſcopus quiſque in ſuâ Dioeceſi

ceſi cauſarum Eccleſiaſticarum Judex vt plurimùm eſt legumq; ſub Principe cuſtos ac vindex; Et interdùm propter aut delicti naturam aut delinquentis conditionem judicat Senatus, ex Epiſcopis aliiſq; cùm Clericis tùm Laicis pietate & prudentiâ conſpicuis, qui a Principe, Summæ, vt vocant, Commiſſionis nomine & honore decorantur.

Deindè Non leve hìc Dubium eſt, Num Fœmina, Judex eſſe poſſit? Quùm primò Naturæ legibus contraire videatur, quæ fœminis virtutes eas, de quibus loquuti ſumus, ſcientiam, prudentiam, animi magnitudinem, vultus gravitatem, ſinceramque quę eſt ſine ſubitâ in mente opinione, & in corde paſſione diſpoſitionem negauit, Nec-non videatur Lex divina iis omnem eripuiſſe dominatum ſub virorum imperio eas ſubiiciens: Ad eam quæſtionem a Politicis fusè explicatam, breviter Reſpondemus; Quùm Imperii ſummi capaces ſint mulieres, jure poſſe eas commiſſam ſibi a ſummo Imperante judicii poteſtatem accipere, Quæ Namque judicandi, eadem imperandi incapaces eſſe eas arguerent, Quòd autèm Imperium obtinere poſſint fœminę, docet antiquiſſimus florentiſſimorum Regnorum Mos, in quibus jure proximitatis ſuccedentes Sceptra tenent illæ, ut non ſolùm quàmplurimę Regnorum *Scotiæ*, *Angliæ*, *Hiſpaniæ*, *Navarræ*, aliorumque in quibus deficerent Mares Reginæ, quarum Regnarunt nonnullę tam piè, juſtè & fœliciter, (inter quas eminens fuit beatæ memoriæ *Angliæ* Regina *Elizabetha*) ut divinam fateri oporteat interveniſſe approbationem, verum etiam Sapientiſſima *Auſtri Sabæ* Regina, atque *Æthiopum Candace*, Quibus ſi regnare nefas fuiſſet, ut in Scripturâ, Earum, ſaltem alterius, probantur actiones bonæ, ità ibidem probabile

probabile eſt, quòd improbatum fuiſſet Regimen illicitum; Imò ſi eſt nonnullis credendum Theologis, ipſa Dom. noſt. IESU CHRISTI mater *Maria*, quam jus habuiſſe hęreditarium ad Regnum *Iudæ* aſſeverant, quòd deſcendentes ex ſtirpe Regiâ illius Parentes, filium non haberent, & ſecundùm legem (Numer. 27 39.) deficiente Maſculo, in hæreditate mulier ſuccederet, quarè in CHRISTUM unicum *Mariæ* filium, fuiſſe transfuſum hęreditarium Temporalis *Iudæorum* Regni jus, opinantur; Neq; enim *Ioſephus* pater tantùm Chriſti putativus illud in Chriſtum transfundere potuit: Tametſi, ut quod ſentiamus, dicere liceat, Veriſimile ſit Regnum Chriſto promiſſum, non Carnale ſuper carnales *Iſraelitas* ſed ſuper ſpirituales filios *Abrahæ* ſecundùm fidem, Spirituale fuiſſe, eò quòd interrupta ſæpius fuerit ſucceſſio, Primùm non habente *Iechoniâ* de ſemine ſuo qui ſederet ſuper ſolium *Davidis*, Jerem. 22. Poſteà conſtituente ſibi populo, in Principem, ſummumq; Sacerdotem *Simonem Macchabæum* Machab. 1. 14. Deniq; expirante ante Chriſti adventum *Macchabæorum* Principatu; Præterquàm quòd & dubitent doctiſſimi, an a *Davide* per *Salomonem*, & omnes eius ſucceſſores primogenitos lineâ rectâ deſcenderit *Maria*, & an tempore Chriſti ex eâdem ſtirpe *Davidis* nemo alius fuerit ſuperſtes qui propior *Davidi* accederet quàm *Maria*, quâ quoque vivente certum eſt non potuiſſe Chriſtum eſſe Regem: Nihilominùs, quod ſatis ad noſtrum eſt propoſitum, poſuerunt Theologi, fuiſſe *Mariam* Regni ſaltèm capacem. Quæ contrà adferuntur argumenta, a Lege, aut, Naturæ, virtutes in Judice vel Imperante requiſitas, Fœmineo ſexui vt plurimùm denegantis, aut Dei eundem poteſtati maritali ſubiicientis, incōmodum fortè

non illegittimum probant eſſe Fœminarum imperium & judicium, Neq; enim ſequitur, imperii incapacem eſſe fœminam, quòd fortè donis ad benè imperandum neceſſariis vel utilibus privetur, quoniam eâdem ratione morientium Principum pupilli a iure Principatus paterni, arcendi eſſent; Neque magis inferri poteſt non poſſe imperare Fœminam, quia ſub imperio eſt mariti, quàm non poſſe a libero populo, in Principem imò nec a Principe in magiſtratum, eligi alicuius natum, quia ſub patriâ illius poteſtate hic eſt; Indefinitè & ſimpliciter viro inferior eſt mulier, ratione ſexus, nec-non & matrimonii, ſed vocationis publicę reſpectu viro etiam ſuo ſupereminere poteſt; Quomodò verò publicis cedere debeant iura privata, prudentibus notum eſt. Quæ alia ſumuntur argumenta a contrariis Rerumpp. (quæ admodùm paucę ſunt) ſtatutis & exemplis, ea ſolvere, non eſt arduum; Conſtitutiones & conſuetudines illæ humanę, Civilia, non Naturæ aut Gentium Jura ſunt, nec, niſi ubi Fundamentales ſunt leges obligant, quùm eoſdem ubique eſſe mores neceſſe non ſit, præſertìm qui iudiciali de ſucceſſionibus legi, quam tulit ipſe Deus, naturali nixâ æquitate, adverſari videntur; Quòd minetur Deus in Scripturâ, populum ſuum, Fœminarum Puerorumque imperio ob peccata punire, Arguit quidem incõmodum eſſe, tanquam pœnæ malum populo inflictum, ut mulieres & pueri, ſeu potiùs puerilibus ac muliebribus agitati paſſionibus ac infirmitatibus præditi gubernent Principes, Sed minimè probat malum culpæ ab iis committi mulieribus aut pueris, qui iure ſibi devolutum gubernandi ius ſuſcipiunt, aut iis iure poſſe a populo reſiſti; quum a Deo poteſtatem habeant, etiamſi eâ inſolenter uti in animum inducant; ità

ut

ut bonus in ſe Principatus, per vitium Principis perſonale, propter populi peccata, iuſto Dei punientis iudicio, in populi perniciem tendat: Ex dictis qui intulerit idem penitùs de iudicio quod de imperio Fœminarum, eſſe ſentiendum, & ſe & alios non parùm decipiet, Nam quas Deus Imperatrices facit, eas repellere nequit populus, Sed in Fœminis conſtituendis Judicibus cauti eſſe poſſunt, ac debent Principes.

Tertium ſumitur Dubium, a Natura perſonæ, An qui propter ætatem teneram, aut alioqui per naturam ineptus eſt ad ius dicendum, Judex eſſe queat? Ad quod pauciſſimis Reſpondetur, Non tolli corporis aut animi imbecillitate iuriſdictionis unà cum territorio in Feudum datę ius, niſi a Rege iſtud revocari ob regni ſalutem contigerit, Sed impediri tantummodò iuridictionis uſum ſeu exercitium, quod ideò apud Nos Subſtitutis quibuſdam, Subſtituentium periculo iudicaturis committitur. Parliam. 1. Jacob. 1. cap. 6. & Parliam. 5. Jacob. 3. cap. 26. Namque apud nos in *Scotia*, (ut & in *Gallia*) ſecundùm conſuetudinem Imperialem quâ Judices dari concederent Imperatores, lib. 3. Cod. tit. qui pro ſuâ iuriſd. dar. poſ. Permittunt Reges deputari a Baronibus, aliiſque commiſſam ſibi iuriſdictionem habentibus patrimonialem, quæ in ſæcularium hæredes, Eccleſiaſticorumque ſucceſſores tranſeat, peritos prudenteſque viros, qui vel ad tempus & per ſe vel in perpetuum & per ſuos etiā hæredes dominorum deputantium nomine iudicaturi ſint: quæ ſi vera ſint, pro certo tenendum, In Regnis, propter Impotentiam iuriſdictionis exercendæ, E iure Regio neque excludi neque excidere Reges, peiorem namque eſſe Regum quam inferiorum magiſtratuum iudicumq; conditionem, maximè alienum

 a rati-

a ratione eſſet & Juris in omni Gente, etiam *Iſraelitica*, ſucceſſivi legibus contrarium, Erat enim *Manaſſes* filius *Ezechiæ* duodecim tantùm annorum quando regnare cœpit iu *Iuda*, 2 Reg. 21. & 2. paralyp. 33. Et *Azarias* ſexdecem annorum, quando poſt mortem patris *Amaziæ* Regnum accepit 2. Reg. 15. Necnon *Ozias* poſtquam a Deo leprâ percuſſus, & ſic Dei lege a cõmuni hominum ſocietate expulſus eſſet, Rex *Iudæ* vſque ad mortem fuit 2. Reg 15. Imò Rex *Saul* tametſi a malo vexatus ſpiritu ſeu ἐνεργȣμενος, non tamen Rex eſſe deſiit, aut ab eo ejuſvè obedientiâ populus receſſit: Diſtinguamus ergò oportet inter poteſtatem, & poteſtatis exercitium, inter juriſdictionem & juriſdictionis adminiſtrationem, Rex, quâ Rex, ideòque omnis poteſtatem habet ac Juriſdictionem, ſed eam exercet aut adminiſtrat is tantùm, qui habitu ſeu facultate juris dicendi inſtructus eſt, Imperium autem ac juriſdictio Regia, jus eſt, non facultas ſeu habitus, nec exercitium ſeu uſus; Ne tamèn jus hoc Regium, inane ſit, cùm aut ſuccedunt pupilli, aut alio modo evadunt Reges infirmi, uſus ſeu executio aliis habitu regendi præditis cõmitti ſolet, Ut ab *Oziâ* leprâ infecto Protector ſeu regens conſtitutus eſt *Ioathan* qui poteſtatem, fortè plenam, ſed delegatam nactus, non regnavit, ſed domum regis rexit, populumque iudicavit, dict. cap. 15. 2, Reg. & 2. Paralyp. 26. non ſecùs quam cum privato datur Infanti, aut adulto furioſo vel prodigo Curator, qui eius vice curam gerat rei familiaris: Quod ex illo *Oziæ* exemplo probare conantur Monarchomachi, Paſtorum ac populi in Principem delinquentem jus, quia ſcz., *Ozias* JEHOVÆ volens adolere, de Templo a Sacerdotibus eiectus fuit: Ex dicto refutatur loco, ubi Regem ſuper-

bè

bè prævaricantem contra Jehovam, verbis tantùm redargutum fuiſſe a Sacerdotibus, legitur, non antè facto eum e Templo deturbatum, quàm leproſum eſſe in fronte perſpicerent Sacerdotes, quem ideò ſecundùm expreſſum Dei de leproſis mandatum ſeorsìm ab hominum ſocietate habitare oportuit: Deindè notant Theologi verbum Hebraicum non denotare, violentiâ aliquâ Sacerdotum externâ expulſum fuiſſe Regem, (neque enìm attingendi ſunt Uncti *Iehovæ*. 1. paralyp. 26. & 22. & Pſal. 105. 15.) ſed vi rationis ipſorum verbis inſinuatę exire coactum, quod & ſubſequentia indicare videntur verba, quibus dicitur, *Ipſum in ſe impulſum fuiſſe ad exeundum, quoniam plagâ eum affecerat Iehova*, Nam quid opus erat (inquiunt) violenter eum ejicere, quem plagâ terrefactum, ipſius impelleret voluntas egredi, Adhæc dicimus aliam fuiſſe Regum tunc Judaicorum, quam nunc Chriſtianorum eſt, conditionem, nam etiamſi non fuerit populo in illos jus, non tamen legibus æquè ſoluti fuerunt, atque nunc ſunt Reges quia ante illorum conſtitutionem leges promulgavit Deus etiam Judiciales neceſſariò ab iis obſervandas, cùm omnium nunc Regnorum leges, ſolis a Regibus fluant, Quapropter Regiæ, in *Oziâ* authoritati nihil derogavit, quòd juxtà Dei legem (cuius, Dei mandato ſpectaret ad Sacerdotes lepræ Judices, ſacrorumque locorum cuſtodes, executio) leprâ percuſſum ſeorſim habitare eum oportuerit: Hìc obſervandum eſt, cùm propter Regis aut teneram ætatem, aut corpus morbidum, aut mentem veſanam Regni oportet creare Regentem, adhibendam eſſe maximam in electione prudentiam, Periculum namque eſt, ne qui ejusmodi inveſtitur generalis vicariatus dignitate, allectus dominandi dul-

cedine Regnum ipſe aut vi aut dolo invadat.

Quartum, ultimumq; Dubium ſumitur, ut Primum a Conditione perſonarum, Num qui Paſtores ſunt, Civiles conſtitui poſſint Judices, & ità cum ſpirituali in Eccleſiâ functione coniunctam habere ſęcularem in Rep. dominationẽ? Nemo, quidem, arbitror, eſt, qui, adeò imprudente abjectę Paſtorum conditionis zelo ardeat, ut eos duplici, teſte *Paulo*, honore dignos, Principum accipere beneficia iiſque uti nolit, quibus & perſonæ quam ſuſtinent dignitatem conſervent, & hoſpitalitatem ac in pauperes liberalitatem exerceant, præſertìm cùm & iis ferenda ſint unà cum cęteris civibus communia Reip. onera; Feuda verò Regalia annexam habentia juriſdictionem, & jus gladii, Non pauci ſunt iique pii ac docti, qui Eccleſiæ Paſtoribus deneganda eſſe ſibi perſuadere & aliis velint; Noſtram nos opinionem breviter exponemus, & quæ majoris momenti Obiectiones ſunt, ſolvemus: Equidem, Negamus, poſſe nunc commodè Principatum ſupremum cum Eccleſiaſtico Miniſterio conſiſtere, quia præterquam quòd Chriſtus Principibus ſe ſubiiciens, iiſq; ſubiici Apoſtolos iubens, Regiam omnem in Apoſtolis dominationem prohibuerit, Math. 20. 25. & 27. Marc. 10. 42. 43. & 44. & Luc. 22. 25. & 26. Poſſunt ac debent, qui paſtorali abutuntur poteſtate, a Principibus legis divinæ cuſtodibus ac vindicibus corrigi, Suprema autèm Dominatio correctionem admittere nequit; Quarè ambitioſam *Papæ* Romani ſuperioritatem damnamus, qui ſuo non contentus Patriarchatu, & in Proceres *Italiæ* Iuriſdictionem ſub Imperatore Romano exercere, in omnes Regiones ac Reges & in univerſam Eccleſiam Principatum ſibi vendicat, Neque tamen ignoramus, ante

legem

legem coniuncta fuiſſe in patribus-familias Principatus ac Sacerdotii iura, ità ut non aliud ordinante Deo ſuâ naturâ compatibiles videantur iſtę dignitates, Neque intelligimus, nos, quomodo, qui Presbyter nunc eſt, ſi Regni alicuius ei obveniret jus, poſſet Rex factus presbyteratum deſerere, Sed quia extraordinariũ id eſſet, Teneamus poſt jam factam a Deo ſub lege earum dignitatum diſtinctionem, & prohibitam a Chriſto ſub Evangelio civilem in Apoſtolis dominationem, Ordinariè non niſi ſubditos debere eſſe Sacerdotes; Verùm fatemur ac tuemur, poſſe Eccleſiæ Paſtores collatorum aRegibus beneficiorum utile, ut vocatur, dominium habere, ac juriſdictionem iis annexam, non minùs quàm alios Regni Magnates in Eccleſiæ ac Reip. bonum ſub Regibus exercere; Nam ſicuti nil vetat prædii alicuius juriſdictionalis Dominum, ſi idoneus reperiatur, Eccleſiæ paſtorem creari, retentâ quam anteà habuit juriſdictione, quâ ob Eccleſiaſtici muneris acceſſionem privari eum iniquitas eſſet, Ità nihil videmus quod impediat Eccleſię paſtorem, non abdicato munere paſtorali, prædii alicuius dominium ac juridictionem a Principe bonâ cum conſcientiâ capere, niſi & parentibus ſuccedere in hujuſmodi Feudo, paſtori illicitum eſſe, atque ut illud, jure ei ſucceſſionis obveniens recuſet, neceſſe eſſe dicamus: Huic non repugnat opinioni, Primò, quod, ex Luc. 12. 14. Obiicitur, noluiſſe Chriſtum ipſum, in erciſcundâ fratrum hęreditate Judicem eſſe, Chriſtus enìm & legittimâ caruit vocatione, ut ipſius præ ſe ferunt verba, *Quis eum Iudicem aut Diviſorem, ſuper eos conſtituerit*, rogantis, Inſtituente Chriſto ſui adventu, Sacerdotium non Regnum novum; Et etiamſi ſuperioris acceſſiſſet conſtitutio, videtur ea po-

 teſtas

teſtas judicialis conſiſtere non potuiſſe cum officio Chriſti Mediatoris Sacerdotali, quo a Deo patre miſſus, ut pro hominibus ignominioſam, cùm vitam tùm mortem ſubiret; Quod autem conſilio ſpeciali, in perficiendo humanę redemptionis Myſterio fecit aut facere renuit Chriſtus, obligationem nunc non habet, quum non adſit par conſilii ratio, namque actionum, ut ità loquar, Identitas ſeu potius conformitas a rationis & circumſtantiarum identitate ſeu comformitate dependeat neceſſe eſt: Non magìs repugnat, quod ex Math. 20. 25. 26. & 27. Marc. 10. 42. 43. & 44. & Luc. 22. 25. & 26. adfertur, edixiſſe Apoſtolis Chriſtum, cuiuſmodi haberent Reges Gentium dominationem, eos non habituros: Nam ſicut prævidit Chriſtus futurum ut in Regnis Gentium, Apoſtolis nulla terrenæ gubernationis pars a Principibus, eorum initiò averſaturis doctrinam, committeretur, Ità ſapienti conſilio providit ut indefinita Evangelii ubique promulgandi poteſtas, hujuſmodi procuratione civili Apoſtolos avocaturâ, non intermitteretur, Proinde voluit, Apoſtolos (quos par erat ipſius ſequi humilitatis exemplum) propter temporis conditionē ſæcularia dominia non expectare, nec, ob miniſterium ſuum eadem venari; Ac putamus non damnare Chriſtum, in Apoſtolis ut illicitum, ſæculare dominium, ſed potiùs, iis non fore illud conveniens, denunciare; Quam autèm poteſtatem in ortu Eccleſię, Apoſtolis haud conveniens fuit habere, nunc conſtitutâ Eccleſiâ, illicitam eſſe, quæ vrget ratio dicamus? Non quæ ſingulariter mandata fuerunt Apoſtolis, univerſaliter omnia ſucceſſores obligant, quòd rationis diſparitatem ſequatur conditionis diſparitas; Ut Chriſto vitâ ſervili, ac morte maledictâ Eccleſiam redempturo

demptuto, ſic Apoſtolis indefinitâ ubique terrarum, peregrinatione eandem fundaturis inutile & intempeſtivum fuiſſet, Verùm nunc Epiſcopis redemptam fundatamq; definitis in locis Eccleſiam recturis, conducibile & opportunum eſſe poterit dominium ſæculare: Quod putant, Chriſtum dictis in locis æqualitatem inter Paſtores in Eccleſiaſticâ diſpenſatione, ſtatuere, non magis verum eſt, quàm diverſos duodecim Apoſtolorum & ſeptuaginta Evangeliſtarum ordines confundere, ac ſuam ipſius in Eccleſiaſtico regimine eminentiam tollere, Ipſius namque prolato exemplo, quod urget de non ambiendo Primatu, Apoſtolis confirmat: Si quicquam ex Chriſti verbis pro æqualitate gradus miniſterialis elici poſſet, id totum ad ipſos referendum eſt Apoſtolos, quos dignitate ac poteſtate pares fuiſſe, & non, vt ſomniant Pontificii, inter ſe Archi-apoſtolum habuiſſe conſtat, quandoquidèm Sancto Dei Spiritu regerentur omnes & teſtes Chriſti ſeparatìm futuri eſſent, tametſi Ordinis cauſâ cùm ſimul viverent, in conventibus ſuis, unus fortè, *Petrus* ut plurimùm præſideret: Non majorem habet vim quòd ex Actor. *6.* ad initium deſumitur, Apoſtolos curam pauperum depoſuiſſe? Nam ſi prophana fuerit ſeu ſæcularis non ſacra aut Eccleſiaſtica pauperum procuratio, & ſuâ naturâ cum ſacro miniſterio incompatibilis, peccarunt Apoſtoli eam anteà obeuntes, & poſteà iterùm ſuſcipientes, Actor. 11. 30. 2. Corinth. *9.* 3. & Gallat. 2. 10. Adeòq; non ſimpliciter abiicientes; Si ſacra atque Eccleſtica fuerit, ut non inficiantur, qui Diaconatus naturâ in pauperum, bonorumq; Eccleſiaſticorum procuratione ponunt, non eſt ea inter Paſtoris & Diaconi functiones Eccleſiaſticas quarum una alteram inclu-

dat, contrarietas, ut eidem committi utraque non poſ-ſit: Sed quod ad Diaconorum munus, Vero eſt ſimile, illud non fuiſſe Actor. 6. inſtitutum, nec qui ab Apoſtolis conſtituti fuerunt ἐπὶ τὴν χρείαν ταύτην, ut loquitur *Lucas*, fuiſſe Diaconos, quorum ordo in Eccleſiâ gradus ſemper fuit ad Presbyteratum, nam ibi creati fuerunt pauperum curatores quidam ex 70. Diſcipulis, quos novum accepiſſe munus, quo tanquam gradu ad Presbyteratum aſcenderent quis dixerit? Quarè cum *Chryſoſtomo* ſuper caput illud commentante, quem & Patres Concilii *Conſtantinopolitani* 6. ſequuntur, Mihi probabile eſt, quòd electi tùm fuerint, non qui Myſteriis, ſed qui Menſis miniſtrarent, ac fuerit miniſterium illis temporibus ac perſonis accõmodatum, iiſq; Eccleſiæ miniſtris quibus plus vacare daretur cõmiſſum, quòd, nondùm approbantibus publicè relligionem Principibus nulla ab his inſtituta eſſent πτωχοδοχεῖα; Et munus hoc Diaconicum, pro neceſſitate tantùm animalis vitę obeundum, per accidens & non niſi mediatè ad Eccleſiam pertinere, ſiquidem ſint qui alienâ ſuſtentatione indigeant, & illis hæc non contingat per ordinem aliquem in Rep. conſtitutum, Et, qui ex primævâ inſtitutione Menſarum rerumque temporalium curam habebant, & non niſi ex occaſione aliquid ſpiritualis miniſterii attingebant, Eos progreſſu temporis meritò ac laudandâ conſtitutione, Menſæ ſacræ aliarumque rerum divinarum miniſterio, ab Eccleſiâ, fuiſſe deputatos duco: Non maioris multùm eſt roboris, ad impugnandam noſtram ſententiam, quod deducitur argumentum ex 1. Timoth. 4. 13. 14, 15. 16. & 2. Timoth. 4. 1. & 2. Quibus in locis prohibere videtur Apoſtolus, quęcunque ſunt a munere miniſteriali (cujus diligentem *Timotheo* commendat

mendat curam) avocamenta : Equidem nihil verius eſt, quam ità intentum eſſe debere cuiuſque Eccleſiæ Epiſcopum, Evangelico in eâ miniſterio, ut nullam illius ædificandæ occaſionem omittat: Miniſterio autèm eſſentiale non eſt, ſic Eccleſię alicui alligare Miniſtrum, vt non extra ordinem & ad tempus ab eâ poſſit abeſſe., Neq; enìm propriè avocatur, cùm, ſuam alibi præſentiam exigit privatum ipſius cõmodum, nedum totius Reip. quę cum Eccleſiâ eadem eſt numero, bonum; Et quia charior debet eſſe totius quàm membri alicuius ſalus, poteſt, qui alicuius eſt Eccleſiæ miniſter, illius curam deſerere, vt Eccleſiæ totius procurationem ſubeat, Quamvis enìm utilem Eccleſiæ primitivæ inſtitutionem de aſſignandâ cuiquè Paſtori Parochiâ revereamur, quùm tamèn aliquandiu conſtiterit Eccleſia, & Eccleſiaſticum in eâ miniſterium, anteàquàm ad vitandam confuſionem facta eſſet ea aſſignatio, Poſſe eum eſſentialiter eſſe miniſtrum, qui uni cuipiam Eccleſię non ſit tanquam glebę aſtrictus, arbitramur; Quod &, ex ordinationis naturâ cognoſci poteſt, quæ nihil aliud eſt, quam poteſtatis miniſterialis, indefinitè prout poſtularit Dei gloria, aut Eccleſiæ ſalus, exercendæ, conceſſio declaratoria, quâ ideò, non alicuius definitè, ſed indefinitè totius Eccleſiæ conſtituitur quis miniſter, cum Eccleſiâ indefinitè matrimonium ſpirituale cuius inſolubile ſit vinculum, contrahens; In Eccleſiâ quidem ritè conſtitutâ, ordinariè non ſeparatur re ac tempore, a conſecratione ad miniſterii jus, Inſtitutio ſeu aſſignatio alicuius Eccleſiæ in quâ miniſterii fiat uſus, ratione verò ac naturâ diſtinguuntur, conſecratio ſeu ordinatio, & Inſtitutio ſeu aſſignatio; Et electio, confirmatio & conſecratio Epiſcopi aut Presbyteri, eſt de jure divino

& naturali, Sed electio, confirmatio & conſecratio Epiſcopi aut Presbyteri, ad hanc ſedem ſeu hanc Eccleſiam, de jure Eccleſiaſtico & poſitivo eſt; Alioqui ſi paſtoris cujusque poteſtas, ab ipſius ad particularem ſuam Parochiam relatione penitùs dependeret, ut non poſſet paſtor, extrà ſuam Parochiam, ne quidem in Synodis, ſpiritualem functionem & juriſdictionem exercere, Ità nec Eccleſia virtute illius mandati ei in Apoſtolorum perſonis dati de docendis omnibus gentibus, poſſet oportunitate datâ paſtori alicui legationem prædicandi infidelibus & paganis Evangelii indefinitam committere; Neque verò Apoſtolicam invehimus nos legationem, quia non, vt Apoſtoli, pro libitu ſuo, ſed pro Eccleſię reſtringentis arbitrio poteſtatem ſuam exercent ſic indefinitè ordinati, Sed de his in libro, quem de Poteſtate Paſtoritiâ ſcripſimus. Igitur Eccleſiaſticarum perſonarum ad Eccleſiaſticum vel ſpirituale munus conſecratio, eas non liberat ab officio, quod Reip. cujus cives ſunt, ejuſque rectori debent, potiſſimùm quando Eccleſia & Reſp. idem numero ſunt corpus, niſi eâdem ratione neceſſaria rei domeſticæ cura iis abjicienda eſſet, Sed ut in populo Dei, Inconſultis Sacerdotibus, nihil quod eſſet alicujus momenti, factum, quęque maximi eſſent momenti negotia, eorum judicio terminata, fuiſſe, Sacrę teſtantur Hiſtorię, Ità Princeps quiſque in ſuo regno, ut difficilioribus ſeſe expediat Regni negotiis, non minùs prudentum paſtorum quam aliorum civium conſilio uti poteſt; Equidem, ut antè, fatemur non debere Evangelii Præcones iis ſeſe hujus vitæ negotiis implicare, quæ Militiam ſuam ſpiritualem ſic remorentur, ut eam deſerere, aut rarò militare eos cogant, Ne neglectâ nimìs ſpirituali ſua functione,

functione, prophana tractantes, *Demadi* illi *Athenienſi* ſimiles ſint, qui nolentibus *Athenienſibus Alexandro* divinos decernere honores, *Videte*, inquit, *ne dum cœlum cuſtoditis, terram amittatis*, de terrenis magis ſolliciti illi, quam cœleſtibus cum *Demade* terram cuſtodire volentes, cœlum amittant; Munus autèm Conſiliarii Regii (in iis præſertìm, quæ ad promovendam relligionem ſpectant) aliaque munera Civilia, quæ dignitatem poteſtatemque annexam habentia Evangelio propagando, ejuſque Miniſterio honorando inſervire poſſint, a Rege impoſita detrectare Paſtorem quemlibet debere diffitemur.

Modus ſeu FORMA conſtituendi Judicis, eſt ejus in locum conſtituentis ſubrogatio, cuius pro diverſitate, Judicum eſt diſtinctio, in Ordinarios & Extraordinarios; Ordinarii ſunt, cùm illi, qui immediatè a Principe, aut lege Principis, in ipſius locum ſubrogati, conſuetam exercent juriſdictionem, tùm etiam illi, qui aliorum quàm Principis immediatè vicem gerentes, judicandi munere funguntur univerſali, non tàm Judicis principalis mandato, quàm Principis in lege ſtatuto, quemadmodum *Bartolus*, *Baldus*, reliquique Legiſtæ conſentiunt, in l. more majorum, & l. & quia, ff. de juriſdict. Extraordinarii dicuntur, quibus a Principe, aliiſvè Judicibus committitur juriſdictio, cõmittentium nomine, in iis tantùm cauſis ſingularibus, quarum expreſſè fert mentionem cõmiſſio, & ſecundùm commiſſionis tenorem, præciſè exercenda, & hi, communiter, Delegati appellantur. l. diligenter. ff. tit. mandati. & l. venerabili decretal. tit. de offic. & poteſt. delegat Sìc definit *Lancelotus* lib. 3. Inſtitut. jur. canon. cap. de Judic. Judices, inquit, ordinarii ſunt,

U qui,

qui, ſuo jure vel ſuperioris beneficio univerſalem juriſdictionem exercent, & delegati, quibus ab iis qui delegare poſſunt cauſæ cõmittuntur; Quarè magnum eſt diſcrimen inter Vicarium & Delegatum, Vicarium enìm habere, non niſi a Principe per legem, munus definientem, conceditur, ità ut ratione officii (eſt enim vicariatus, officium, non mera commiſſio) lege erecti aut confirmati, Jus dicat vicarius, cùm delegatus virtute tantùm particularis mandati judicet. tit. ut nulli Judicum liceat habere loci ſervatorem, Authent. collat. 9. Novel. 134. Et vicarius, ſeu, qui locum tuetur Judicis, omnia quæ ad juriſdictionem judicis pertinent actitare poteſt, adq; univerſitatem cauſarum illius juriſdictionis ſpecificam eſt conſtitutus, Cod. lib. 1. tit. de officio eius qui vic. alic. iud. l. 2. Cùm delegati poteſtas, quia delegationes & reſcripta ſtricti juris ſunt, ad eas ſolas res ſeu cauſas quæ reſcripto delegantis continentur ſeſe extendat. cap. ſignificante, & c. *Rodulphus*, decretal. tit. de reſcript. Adeòque Epiſcoporum in juriſdictione Vicarii ſeu Officiales, non ſunt Judices delegati, atque, ut impropriè nominantur, Commiſſarii, ſed ut dicto loco in Gloſſã ſuper *Lancelotum*, notatur, ordinarii, quorum, non ut delegatorum juriſdictio, Epiſcoporum morte, aut revocatione extinguatur, vt-pote quæ non, temporario reſcripto, ſed lege eam ſtabiliente, & Epiſcopis, perſonarum quæ officiis fungantur electionem tantummodò atque admiſſionem concedente nitatur. Parliã. 20. Jacob. 6. c. 6. Atqui, ut, antè demonſtravimus, Juriſdictiò Principis eſt propria, & Judicibus, tantùm ab eo communicatur, & tanquam in cuſtodiam traditur, Itaquè principis occaſu evaneſcit Judicum omnium tàm ordinariorum quàm delegatorum Jus? Certè,

tè, licet, aliam eſſe voluntatis quæ lege, aliam illius, quæ ſimplici mandato declaratur rationem doceant Juriſperiti, quòd Mandatum ſit temporarium, Lex, ut aiunt, perpetua; attamen, ut contrario ſubſequente mandato, revocatur prius, ita poſteriori Principis lege tolli poteſt quod priori, inſtitutum approbatumq; fuit officium, (naturale namque eſt, quo ligatur, eo diſſolvi unumquodque modo) quod ſatis probat primum propriumque Juriſdictionis ſubiectum eſſe Principem; Et, quod plus eſt, negari nequit in uſu fuiſſe apud *Romanos* & alios, ut, qui in demortuorum ſuccederent locum Reges, quamprimùm Regnorum gubernacula capeſſerent, Magiſtratuum Judicumque juriſdictionem confirmarent, ut oſtenderetur, extinctis Regibus, nullam eſſe inferiorum authoritatem, niſi Succeſſorum Edicto confirmentur, ſaltèm patientiâ tacitè approbentur: Si moveat hìc aliquis controverſam inter Politicos quæſtionem, Satiùs ne ſit & utilius Reip. ut Magiſtratus ac Judices, ſint mutabiles, omneſque quaſi delegati mandatâ ad tempus juriſdictione potiantur, an verò ordinarii omnes, & durante vitâ immutabiles? Breviter hanc a nobis ſolutionem capiat, præſtare, omni in Rep. Mutabiles quidèm ſint illi, quibus magnæ ſuæ poteſtatis ratione offerri poteſt occaſio, Reip. formam commutandi, quòd teſte *Seneca* nihil tàm utile ſit, quàm brevem eſſe poteſtatem quæ magna eſt; Immutabiles autèm, quibus non ſunt ad manum media, ſeditioſum eiuſmodi conſilium perpetrandi, quique nullam aut modicam nanciſcuntur rebellionis opportunitatem, Quoniam continuatione in Magiſtratu, non modò prudentior fit Magiſtratus, experimentalem è ſæpiùs iteratis iudicandi, iubendique actibus cognitionem acquirens,

Sed etiàm incorruptior, nimirùm, & ad quæſtum faciendum ſegnior, & ad refractariorum violentiæ reſiſtendum audacior, quòd de officio, atque authoritate ſuâ, niſi iis abuſus fuerit, quoad vixerit, certus ſit, Conſtituitur ergò Judex, huius in locum conſtituentis ſubrogatione, aut in perpetuum & indefinitè, aut definitè & ad tempus, prout conſtituenti viſum fuerit.

Nunc eluceſcere poteſt, quis ſit Judicis conſtituendi Finis, videlicet, ut Principis aliorumq; conſtituendi poteſtate prędítorum, in adminiſtrandâ Juſtitiâ vicem gerant, Sunt enim Judices, vt jam ſæpè dictum, Principis Reip. mediati vel immediati in Judicio vicarii, quòd omnibus ſupereſſe rebus nequeat Princeps, in Rep. quâq; conſtituti, quorum, propterea, magnus debet eſſe honor, quibuſq; plurima indulſerunt ubiq; Principes privilegia, vt apud Nos, Senatores ſupremæ curiæ Juridicæ, a realibus tributorum, & perſonalibus munerum, oneribus eximuntur, iiſq; jus legę datum, ut, quicunque ipſos, eorumvè aliquem deſpectui habent, aut, quo decet, modo, non ſuſpiciunt, cui, viſum fuerit, carceri eos mandare poſſint, uſque dùm, ad Senatus arbitrium ſatisfecerint, ex eo non liberandos, & ſi delicti poſtulet gravitas, ſeveriùs a Rege puniendos. Parliam. 5. Iacob. 5. c. 68.: Quòd ſi Judices ſint Principis vicarii, nullâ eſt Eorum Principe pręſente poteſtas, quùm ſolius abſentis teneat quis locum, Et ſi quę eſſe alicubi & aliquandò videatur, non niſi jus eſt, judicium Regium volente Rege declarandi, vt ità ex judicum ore proferatur Regis ſententia; Et ſi creati ſunt judices, ad Regis voluntatem legibus expoſitam pro circumſtantiarum ratione rebus debitè

accommod

Wemyss, Sir J.

accommodandam & exequendam (tempus enìm imaginari oportet, quô cùm nondum eſſent leges, Regis voluntas nudis verbis & nutu omnia regeret, ut, lib. 2. de orig. jur. ſcribit *Pomponius* Romanam initiò Remp. manu Regiâ gubernari, nec legibus uti, conſueviſſe) quę eſt Judicum poteſtas, pro Rege non contrà Regem exercenda eſt, ut antè obſervavimus, quodque adverſus Regem judicium dant, eorum tanquàm arbitrorum non, Judicum, eſt, (poteſt namque Rex, non ſacram ipſius perſonam, Regnique maieſtatem, ſed res ſuas privatas quas in ſuâ habet poteſtate, ſubditorum arbitrio cōmittere,) ac ii, ſecundùm legem, quæ Regiæ voluntatis index eſt, contrà procuratoris Regii voluntatem decernentes, non propriè contrà Regem judicant, ſed Regis potiùs mandatarii, Regię in lege voluntati obſecundant. Ut caput hoc de Magiſtratibus ac Judicibus finiatur breviter quod ſit inter eos diſcrimen explicemus.

Initio hujus Libri, dictum a nobis eſt, quòd juriſdictio in genere ſumpta complectatur in ſe Imperium merum, Imperium cum juriſdictione mixtum, & juriſdictionem meram, Imperium merum vocamus jus illud liberum (præſertìm gladii ſeu animadverſionis poteſtatem) nullâ lege limitatum, nec legittimos judicii tramites ſequi aſtrictum, quo uſi ſunt ſupremi Rerumpp. Rectores, anteaquàm latę ab iis eſſent leges, inſtitutęque proceſſuum formæ atque adhuc utuntur militiæ tempore & in caſtris, ubi teſte *Smytho*, de Rep. Angl. lib. 2, cap. 4. Princeps abſolutam poteſtatem nullis legum repagulis coercitam habet, ità ut eius placita vim legis ſuſtineant, & ſine aliquâ proceſſus iudiciarii formulâ, poſſit hos morte mulctare, illos pœnâ, ubi quid deliquerint, corporis caſtigare;

Quemadmodùm, etiam extrà bellum, ſimplici Regis *Davidis* iuſſu ſine ſolemnitate Judicii, percuſſus fuit *Amalekita*, qui ſe interfectorem *Saulis* profeſſus erat. 2. Samuel. 1. 15. Simili eiuſdem Regis iuſſu occiſi fuerũt *Recabus* & *Bahanam Rimmonis* filii, caput *Iſhboſchethi* ad Regem adferentes. 2. Sam. 4. 12. Non diſſimili *Salomonis*, Regis, mandato, frater eius *Adoniah* ut daretur ipſi in uxorem *Abiſchai* petens, a *Benaia* interfectus fuit. 1. Reg. 2. 25. & idem *Benaia*, in *Ioabum* etiam Altaris cornua prehendentem, & in *Schinnim*, nudo Regis præcepto irruit, 1. Reg. 2. 34. & 46. Quæ iure non facta eſſe, ac teneri Regem, veritatis delicti conſcium, in puniendo delinquente iudicii formulam ſtrictè ſervare, quam ab inferioribus obſervandam lege ſtatuit, aſſeverare non audemus: Imperium mixtum dicimus, jus eſſe, quę ad ſubditorum bonum tendant, eoſque in officio contineant, conſtituendi, controverſias tamen non niſi ex legum præſcripto, & ſecundùm iuridicæ notionis ordinem, ſeu telæ, ut loquuntur, judiciariæ filum terminandi: Et iuriſdictionem meram appellamus, ius illud quod ſolummodò in litibus ſeu cauſis ſive ſint Civiles ſive Criminales, ex legum tenore, & iudiciorum ordine decidendis exercetur: Imperium merum, ſolius eſt Principis, abſoluta namque poteſtas ac indeterminata a Maieſtate Imperii inſeparabilis eſt, ità ut, qui Regnorum ſunt Regentes, aut Regum in bellis Legati, tametſi ſummam ac non limitatam videantur habere poteſtatem, ſimpliciter tamen Principes non ſint nec Imperii illius meri & ſummi (quod nec temporis nec conditionis reſtrictionem admittit) ſint, domini ac poſſeſſores veri, ſed tantùm cuſtodes, quòd ab illis decurſo tempore Imperium repoſcant Reges, & dùm eo gaudent, illius poteſtate

Wemyss, Sir J.

poteſtate quantumvis magnâ adverſus Reges ipſos uti nequeant: Merum ergò Imperium non habent, alienum, non ſuum, non perpetuò, ſed ad tempus, cuſtodientes; Mixtum eſt Magiſtratuum, quibus ait *Ariſtoteles* Polit. lib. 4. cap. 15. datum eſſe de quibuſdam deliberare & ſtatuere, Et Juriſdictio mera, Judicum eſt, Nam omnem Magiſtratum, neceſſe eſt, quorundā quoque eſſe Iudicem, Non Iudex omnis neceſſariò eſt Magiſtratus teſte *Platone*, de legib. dialog. 6. Differunt ergò Iudices & Magiſtratus, quòd ſolùm habeant Iuriſdictionem illi, Imperium etiam hi, quare illi, poteſtatem delegandi, non hi, habent, quia delegabilis eſt Iuriſdictio, non Imperium, quod Maieſtati intrinſecum magis ſit Imperium, quàm Juriſdictio: Neque verò propter prædicta, exiſtimandum eſt, Imperii omnis expertem eſſe Juriſdictionem, sìc enim inanis eſſet nullam habitura ſine imperio executionem, Sed intelligimus quod habent imperium Judices, eſſe tantummodò acceſſorium & iuriſdictioni ſubſerviens. Tandèm, ut concludamus, Iudices ac Magiſtratus sìc definimus, *Conſtitutos, ſubrogatoſque a Principe Imperii, mediatè vel immediatè illius vicarios, illos judicii, hos etiam Imperii jus in* Reip. *bonum habentes.* Atq; hactenùs De Regum Officio.

FINIS LIBRI PRIMI.

MEDIOCRIA FIRMA

Wemyss, Sir J.

De REGIS PRIMATV.

LIBER SECVNDVS:

De Regis Privilegio.

Regem ab Eccleſiæ judicio & correptione Eccleſiaſtica, liberum eſſe.

Cap. I.

HACTENUS de priori eo Regum Jure (quod eorum vocavimus Officium) in quo maximè ſpectatur Prudentia, nimirùm de juriſdictione, Neq; enìm de Officio Regis quod in proviſione, vt ità loquamur, conſiſtit, noſtri fuit inſtituti quicquam dicere, quo ſcz. nititur eas habere virtutes, cùm intellectuales tùm Morales, & vires tàm internas Conſilii, Pecunię, & Armorum, quam amicitiæ, ſeu fœderis externas, quibus omnibus inſtrui eum & muniri optandum eſt, Priuſquam illud quod in actione verſatur officium, ſuſcipiat; Sequitur, de Poſteriori, quod Privilegium appellamus, quàm breviſſimè dicamus, quòd &, ex prædictis, non obſcurè inferatur, & quæ de eo movetur

quæſtio, a plurimis fuſè ventilata ſit, Eſtque, quo, aut regere non valentes, aut non rectè regentes, non tamèn deſinunt impunè ſecuri eſſe Reges, Ità vt eorum infirmitas, aut iniquitas, nec jus Imperii iis tollat, nec Subditis ullum in eos jus conferat: Ut jus hoc Sacræ Principis Perſonæ meliùs intelligatùr, quibus ſubiici putetur pœnis, operæ erit pretium, in Eccleſiaſticas vel Spirituales, & Civiles vel Temporales dividere, vt cùm excōmunicandi, tùm deponendi Principem, jus impugnetur.

Prima igitur erit quæſtio, An poſſit Princeps Spirituali Cenſurâ, fulmine putà excōmunicationis impeti? Excommunicandum non eſſe Principem, vt ſentiam, efficit imprimis, iſtud, quòd, neque ex divinâ Hiſtoriâ, neque ex Eccleſiaſticâ appareat, antè adultam *Papæ* tyrannidem, aliquem fuiſſe excommunicatum, Neque enìm credendum eſt, nullum anteà extitiſſe in Dei Eccleſiâ vel Judaicâ, vel Chriſtianâ, fidelem Prophetam, Sacerdotem, aut Apoſtolum, & Epiſcopum, qui pro authoritate ei divinitùs datâ, in malos Principes, imò monſtra aliquandò Naturæ fortitèr animadvertere auſus fuerit, quia, vt Pontifici vel Sacerdotibus quandoque forſan defuerit animus, ſaltèm de Prophetis divino Spiritu actis nefas id ſuſpicari, Non animo defuit vocatio, non vocationi animus, ut dicit *Tilenus*; Et quî, quæſo, poſſet Princeps, cœtu & communione fidelium, qui iidem illius cives, obedientiæ vinculo ei devinciuntur, decretivè, nedùm executivè excludi ſine Chriſtianæ pacis violatione, ſummoque Eccleſiæ totius detrimento? quo in caſu, ait D. *Auguſtinus*. lib. de fid. & oper. cap. 18. cauſ. 23. quæſt. 4. Non debere Eccleſiæ Rectores diſciplinam adverſus nefarios exercere, ſed propter Eccleſiæ pacem Canes in Eccle-

Wemyss, Sir J.

in Eccleſiâ tollerare, iiſque ſanctum, ubi pax Eccleſię aliter tuta non eſt, dare, Et in ſermone 18. de Verb. Domin. cap. 9. cauſ. 23. quæſt. 4. redarguere, opportere peccantem, corripere, monere, adhibere etiam ſi res exigit congruam, id eſt, ait ille, quę unitatem ſeu Pacem non violet, diſciplinam; Quùm ergò oporteat Subditos cum Principe commiſceri, non datur in Principe Excommunicationis finis ſeu effectus, ſi non proximus, qui eſt ligare animam, ſaltem remotus, qui eſt, ut vitante populo excommunicati conſortium, pudore ſuffundatur excommunicatus, & sìc reſipiſcat; Cui conſentiunt doctrinæ, ex Theologis doctiſſimi, ubi propter excommunicationem metus eſt aut Sciſmatis aut Perſecutionis, illius uſu eſſe abſtinendum ponentes: Deindè licet abſque populi ſtrage exerceri poſſet in Principem Eccleſiaſticę illius ſeveritatis jus, tamen adverſari videtur ſummæ Principis juriſdictioni, curandique Eccleſiam officio, quoniam aliquandò contingere poſſet, ut Princeps iniuſtum, illegittimumque paſtoris factum non corrigens, reprehenſioni idcircò divinæ obnoxius non eſſet, Negari namque non poteſt, poſſe iniquè excommunicari ipſum Principem, Cùm, ut aiunt *Hieronymus* & *Origenes*. capp. 4. & 7. cauſ. 24 quæſt. 3. Interdùm qui foràs mittitur, intùs ſit, & qui foris eſt, intùs videatur retineri, Ac non ſemper, ut jus poſtulat, ordinem obſervent judiciarium Paſtores, Excommunicatus verò Princeps non poſſet iſtius ſententię excommunicationis iniuriam reparare, niſi, quod abſurdum dictu eſt, per appellationem ad ſeipſum, ad ſuum ipſius recurreret præſidium ſuâque in cauſâ judex eſſet: Atqui poteſt Eccleſiæ paſtor, ſi Princeps Eccleſiæ ſit membrum, Principis peccata ligare? Eſto, inter ligandi

ac ſolvendi ſeu clavium poteſtatem & excōmunicandi ac reconciliandi jus, plurimùm eſt diſcriminis, (hìc enìm loquimur non de pœnitentiali, ſed de abſolutâ excōmunicatione exterminativâ) Illa, clavium puta poteſtas, Præconis eſt, peccanti remiſſa, & retenta eſſe peccata a Deo, tantùm declarantis (neque enim verè & judiciariâ authoritate peccata retinet & remittit Sacerdos, teſte ipſo Magiſtro Sententiarum lib. 4. diſtinct. 18. art. D.) cuius tamen authoritativa denunciatio, quia Divinæ Ordinationis, efficax magis eſt, quàm cuiuſquam privati charitativa declaratio, Iſtud excommunicationis jus, Iudicis eſt, ob præſumptam retentionem & remiſſionem, ab Eccleſiæ ſacris peccantem removentis, adque ea iterùm admittentis; Illa ad deiiciendum vel erigendum in ſe peccatorem, Iſtud, magis ad tollendam Eccleſiæ offenſam exercetur, inq; iſto, dici forſan poteſt, quòd, paſtor, peccatum notorium, publicâ pœnitentiâ ſatisfactoriâ, quâ Eccleſiam ſcandalizat, detinet, idemque publicâ, poſt ſatisfactionem reconciliatione, remittit, Deo ſolo, ut diximus, peccatum, quâ ipſius eſt offenſa detinente & remittente; Porrò Illiùs executio eſt, in foro privato pœnitentiali miniſterialis tantùm in ſpontè comparentes divinæ voluntatis denunciatio, quæ tacitam ſemper habens recipiſcentię, aut non recipiſcētię conditionem irrita nūquam eſt aut iniuſta; Huius eſt, in contentioſo, judicialis in legittimè citatos ſententiæ pronunciatio, quæ abſolutam continens a liminibus Eccleſiæ ablegationem, plurimis eſt ſubiecta erroribus, ablegatumq; ſæpiùs non lædit: Poteſt, procul dubio, Eccleſiæ paſtor, ut Dei Legatus, principi vel divinam gratiam annunciare, vel iram denunciare, prout peccatorum ſenſu affectum, vel non affectum videt Principem, Non

poteſt

Wemyss, Sir J.

poteſt vt Judex, in Principem, ſine Majeſtatis imminutione, ex ordine iuris, proceſſum deducere; Epiſcoporum δυναςεία ἐν τῷ βήματι, (vt loquitur *Nazianzenus*, Orat. 18. ad cives *Nazianzenos* & Principem) non Epiſcoporum conſiſtorio Principem ſubiecit lex Chriſti. Quarè Excõmunicationis forma Regiæ non congruit honorificentiæ, undè ait *Tilenus* (in notis ad cap. 7. lib. 5. *Bellarm.* de Rom. pontif.) non eſſe in externo hoc foro Excõmunicationis, eandem rationem Principis, (qui ſubditorum eſt caput) quæ gregariorum civium ac membrorum; [Putidum, inquit, & ſphacelo correptum membrum præcidit Medicus, ut corporis incolumitati conſulat, de capite, quicunque morbus illud occupaverit amputando, ne cogitat quidem ſi vel micam cerebri in ſuo capite habeat, Dei, prætereà inquit, qui Rex Regum eſt, iram ac vindictam malis Principibus paratam, Paſtor Principi non minùs quam privato denunciat, & huiuſmodi correptionis exempla plurima in veteris populi hiſtoriâ exſtant, Excommunicationis verò nullum] At Imperatorem *Theodoſium* excõmunicavit Epiſcopus *Ambroſius* ob cædem *Theſſalonicæ* factam! Refert maxima Hiſtoricorum pars, Imperatori homicidæ ſacram Synaxim recuſaſſe, Epiſcopum, Aliud autem eſt, præeunte cognitione, a ſacris arcendum eſſe Imperatorem, Judicialiter decernere, & decretum illud publicè promulgare, Aliud, Imperatorem contra Dei mandatum, inq; ſui perniciem ſacra temerare volentem, non tam actu ab iis arcere, quam eidem ea non prębere; Non deſunt, quoque, qui illam *Ambroſii* ſeveritatem, ſi Imperatorem excommunicarit, nimis fuiſſe moroſam, nec iure probandam eſſe, affirmabunt: Ut hanc finiamus quæſtionem, Docent Theologi non

pauci, etiamſi ea quæ eſt per excommunicationem diſciplina, ad benè eſſe Eccleſię requiratur, non tamen eſſe ſimpliciter neceſſariam, ut pote cuius ſine uſu *Corinthiorum* Eccleſia aliquandiù floruerit; proindè, ut non iritetur illius uſu Imperii Princeps, flagitare ratio videtur.

Regem ab Eccleſiæ judicio & correctione civili, exemptum eſſe.

Cap. II.

QUI Civili pœnâ cohiberi poſſe Principem putant, aut *Papæ*, aut Populi authoritatem urgent; Uſurpatum *Papæ* ius, quia pluribus examinarunt viri doctiſſimi Dom. Epiſcopus *Roffenſis* D. *Molinæus*, D. *Saravia*, D. *Field.* & D. Archiepiſcopus *Spalatenſis*, ac omnium graviſſimè & breviſſimè admirandus Rex noſter JACOBUS, In illius confutatione non immorabimur; Miniſterii, dicimus nos, ac poteſtatis Eccleſiaſticæ obiecta eſſe hominum non corpora vel bona, ſed corda, ſeu cordium potiùs, λογισμȣς & νοήματα, quibus evertendis atque in captivitatem redigendis in Chriſti cognitionem, & obſequium occupantur Miniſtri, qui propterea in carne ambulantes, non tamen ſecundùm carnem militantes, arma habent militiæ non carnalia, ſed ad deſtructionem munitionum divinitùs valida. 2. Corinth. 10. 3. 4. & 5. Solius quidem Dei eſt animos, & corda regere, iſque ſolus, quia Spirituum pater. Hebr. 12. 9. in Spiritus propriè poteſtatem habet, Quia verò Deus miniſterii interventu operatur, Deo cooperatores dicuntur miniſtri. 1. Corinth. 3. 9. Et tametſi miniſterii actus

actus extrinſecùs homines afficiant, ut Verbum prædicatum, Sacramentaque adminiſtrata in ſenſus incurrunt, & in quos cenſuræ feruntur Eccleſiaſticæ, ab externâ eos ſocietate Eccleſiaſticâ ſubmovent; Nulla tamen Miniſtris, per ſe, competit externa & civilis, cogendi corpora poteſtas, atque actus illi poteſtatis Eccleſiaſticæ, ut media a Deo inſtituta, ad gignendam in cordibus fidem & reſipiſcentiam directè referuntur, quùm omnes alii actus externi non proximè ad ſpiritualem hunc finem, Sed externum in Eccleſiâ ordinem, ſpectantes, non a poteſtate ordinis miniſteriali, ſed juriſdictionis Regiâ, profluant; Media verò, gignendæ fidei, & reſipiſcentiæ eſſe Chriſtianorum, præcipuè Principum, incarcerationem, deportationem, interemptionem, bonorumque direptionem, non, niſi inſanus dixerit: Hic fortè *Bellarminianus* quis dicet, eſſe *Papæ* poteſtatem non temporalem, quæ Principalitèr, ac formalitèr temporalis ſit, ſed ſpiritualem, quæ ad temporalia ſeſe extendat, ſeu de temporalibus diſponat; Cuius diſtinctionis vanitatem quis non percipiat? Nam, ſi quam habeat *Papa* in civiliter puniendis Regibus poteſtatem, ea non modo, in temporalibus, ſed etiàm temporalis dicenda eſt poteſtas, ſiquidem ſit in re temporali, mediis temporalibus effectum producens temporalem, Namque poteſtatis temporalis naturam a Materiâ, & Fine, finemque aſſequendi modo dererminari oportet, habente utrâque poteſtate cùm temporali tùm ſpirituali Formam cõmunem, eundemque Efficientem, quùm utraque ſit poteſtas a Deo data, Sed, in diverſis objectis, diverſimodè, propoſitos ſibi fines effectuſvè diverſos, aſſequi nitens; Neque ulteriùs aut Principaliter, aut acceſſoriè, quàm ad ſpirituales cenſuras

poteſtatem pontificiam extendere videtur *Innocentius* tertius, In Canone novit ille. 2. decret. tit. de judic. aiens, *Nullus ſanæ mentis ignorat, quin ad noſtrum officium ſpectet, de quocunq; peccato corripere quemlibet Chriſtianum, & ſi correptionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere.* In additionibus ad quem Canonem ait *Gregorius* Pontifex, *Quòd poſſimus & debeamus coercere, patet ex eo quod dicit Dominus ad Prophetam qui fuit de Sacerdotibus Anathot, (Eccè conſtitui te ſuper Gentes & Regna, ut evellas, deſtruas, diſſipes, ædifices, & plantes) Conſtat verò quòd evellendum, deſtruendum, & diſſipandum ſit peccatum.* Ubi videre eſt, ex Pontificis ſententiâ, denotari peccatorum, non principatuum diſſipationem, Et conſtitutum fuiſſe ſuper Regna *Ieremiam*, non Imperio, ſed munere prophetico, non ut Reges deponeret, ſed depoſitionem denunciaret; Ideò *Antherus* (qui inter primos poſt Apoſtolorum tempora Pontifices) rogantibus *Hiſpaniæ* Epiſcopis quam pœnam pati debeant Subditi ſuis Epiſcopis non obedientes, reſpondens *In veteri,* inquit, *lege habetur, quicunque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extrà caſtra poſitus lapidabatur a populo, aut gladio cervice ſubjectâ, contemptum expiabat cruore, Nunc verò inobediens ſpirituali animadverſione truncatur, aut ejectus à Eccleſia rabido Dæmonum ore diſcerpitur*, c. abſit. cauſ. 11. quæſt. 3. Et inter medios pontifices *Nicolaus* Papa, petenti *Albino* Archi-epiſcopo, vtrùm poteſtate ab eo datâ Marito liceret uxorem adulteram non obſervato juris ordine clàm interficere Reſcribens, *Sancta*, inquit, *Dei Eccleſia mundanis nunquam conſtringitur legibus, gladium non habet niſi ſpiritualem, non occidit, ſed vivificat*, c. inter hæc, cauſ. 33. quæſt. 2. Et ipſe *Gregorius* In additionibus ad c. interfectores, cauſ. 33. quæſt. 2. *Eccle-*

ſiaſtica

ſiaſtica, inquit, *diſciplina ſpirituali gladio, non materiali, criminoſos feriri jubet*; Materialis quoque gladius eſt Eccleſiæ, &, ut ait *Bernardus*, ad pontificis nutum evaginandus, id eſt, pro Eccleſiâ, non ab Eccleſiâ, & ad paſtoris, non juſſum decretivum, ſed hortatum ex Dei verbo directivum, a principe, cuius eſt gladius poſſeſſivè, ad Eccleſiæ beneficium ſtringendus, Neque enim approbamus Gloſſatorum ad c. inter hæc. cauſ. 33. quæſt. 2. diſtinctionem, quâ dicunt habere Eccleſiam gladium, quoad poteſtatem ſive jus, non quoad executionem, aut uſum, quia dici nequit, Illius eſſe dominium gladii, cui exercitium gladii negatur: At, juxtà argutum *Innocentii* Tertii modum, quo ſe omnium facit judicem, ſub prætextu peccati, cujus obtendi poteſt, quâvis in cauſâ formalitas, ad judicium Eccleſiaſticum trahi poteſt omnis cauſa, & sìc indirectè ad temporalia ſeſe extendet Eccleſiaſtica poteſtas? Profectò poteſt Paſtor, in Theſi omnibus iniuſta agentibus publicè Dei judicium denunciare, & in Hypotheſi, ſecretò confitenti iniuſta ſe egiſſe, ſub pœnâ ligationis peccati, reſipiſcentiam, & ſatisfactionem imperare, Sed de cauſâ, præſertìm in quâ quæſtio eſt de jure, juſtum ne an iniuſtum ſit, quod egerit quis, Paſtoris non eſt publico judicio cognoſcere, Nec Eccleſiaſticę cognitionis eſt aliud peccatum, quàm, quod Eccleſiam ſcandalizat, & cuius non eſt legibus definita aliqua pœna, a Judice civili, illud committenti imponenda: Atqui ab Eccleſiâ virtute poteſtatis Eccleſiaſticæ directæ excommunicari poteſt Rex, qui regno ut eo indignus, quia excommunicatus, indirectè privari poteſt? Ut excommunicato Regi (Si poſſe eum excommunicari daremus) non tollit excommunicatio jus obſequii ad quod eius ſubditi tenentur

nentur, nec illi regnum adimit, niſi arctiori, ut loquuntur Scholaſtici obnoxietate, conſtringantur erga dominum ſervi, quam erga Regem ſuum ſubditi, & Anguſtius ſit Regis Auguſti, quam ſubditorum jus, nam Patri-familias excõmunicato obſequium debere ſervos teſtatur Innocentius 3. lib. 5 decertal. tit. de ſentent. excommun. cap. 31. Et propter excõmunicationem privatis bona non eripiuntur, Quid autem juri magis eſt contrarium, quàm infirmum magis eſſe ſupremi ac abſoluti imperii, quàm inferioris ac dependentis dominii jus, ſeu ſtabilem minùs eſſe Regis, quàm ſubditorum, qui Regis beneficio habetur, ſtatum: Ità nec propter Regis indignitatem, ipſius Regnum occupandi jus, aliis dari poteſt, quòd jus in re, non tollat perſonæ indignitas, alioquìn Ethnicis bona adimere abſolutè liceret, & Ethnicorum Regna a Deo non eſſent cùm tamèn Regem *Nebuchadnezarem* (qui *Iudaam* vaſtaverat, *Hieroſolyma* cæperat, Templum & Urbem ſolo æquaverat, omnia cæde compleverat, relliquias populi, captivas abduxerat, imò captivos ad Idolum adorandum vi coegerat, *Daniel* 3. 5. 6. Sìc affatur *Daniel*, cap. 2. 37. *Tu Regum Rex es, & Deus Cœli, regnum, potentiam, imperium & gloriam tibi dedit &c.* In eandem ſententiam ait dominus exercituum Deus *Iſrael* Jerem, 27. 6. *Dedi omnes terras iſtas in manu Nebuchadnezaris Regis Babylonis ſervi mei*; Agnoſcimus, duplex habere jus, Reges Chriſtianos & fideles, quorum deeſt Ethnicis & infidelibus alterum, ſiquidèm illi & juſtè quoàd homines Regna ſua poſſident, & bonâ erga Deum conſcientiâ iis fruuntur, Dei dono abſq; Tyrannide authoritatem jure adepti, & Dei gratiâ, Juſtè & piè eâdem authoritate utentes, cùm hi, utut habitâ juris humani & civilis ratione legittimi ſunt Regnorum

poſſeſſo

poſſeſſores, saltèm in eorum uſu, ac fruitione divinam non habeant approbationem, ac jus ſpirituale; Quia verò jus hoc ſpirituale ſoli Deo cognitum, ad conſcientiam tantùm illud habentis ſpectat, authoritati, quam in alios habet quis, nihil detrahit eiuſdem defectus, & habente Deo ſolo illius adimendæ poteſtatem, jure eam tenentur ſuſpicere & revereri, in quos ex Dei providentiâ exercetur: Quod aiunt *Ieſuitæ* inanem fore poteſtatem Eccleſiaſticam, niſi penes Eccleſiæ præpoſitos ſit, Principes Eccleſiæ perſecutores e ſoliis deturbandi poteſtas, falſum eſt, quia Dei gloria in confirmandâ Electorum ſalute, ac obſignandâ reproborum damnatione poteſtatis Eccleſiaſticæ Finis eſt, quem Omnipotenti Creatori propoſitum, nullius creaturæ nec corporalis nec ſpiritualis actiones impedire poſſunt, Adque quem aſſequendum neceſſaria omnia media habet Eccleſiaſtica poteſtas, Verbi ſcz. prædicationem, Sacramentorum adminiſtrationem, & ſpiritualium cenſurarum inflictionem, in quibus Eccleſiaſticæ poteſtatis eſſentia ſita eſt; Sic perfecta eſt in ſe poteſtas Eccleſiaſtica, vtque ſuum aſſequatur finem, nempè vt ad Eccleſiæ imperium aperiatur, ac recludatur Regnum Cœlorum, ſufficienter viribus instructa, Neque impeditur ſub Imperio Perſecutorum relligionis profectus, periculis fortè obiiciuntur relligionem profitentium corpora, & bona, non ipſa Relligio, aut relligioſi quà tales, nam Fides quæ animo inhæret mundum vincit, & eſt Pax, non externa, ſed interna, quæ Eccleſiæ eſſentialis, ac ſæculares molitiones raro commodæ, nedùm ſemper neceſſariæ imò noxiæ fuerunt, ut Eccleſia gladiis fidens ſemper victa, ac fidens gladio ſuo ſemper vicerit; Et, ſi a Principe aliquo in fide devio ingrueret Subditorum

animis periculum, perfidâ in eum rebellione averti nec debet nec poteſt: *Neque enim licet mala facere, ut veniant bona.* Roman. 3. 4. Quòd itèm aiunt, poſſe Eccleſię prçfectum, *Papam*, a juratâ Principi obedientiâ ſubditos abſolvere, refutatione non eget, nam quatenùs obedientia eſt, debita eſt ſecundùm partem Decalogi ſecundam, in quâ, ex Pontificiorum etiam opinione, nequit homo diſpenſare, quia in præjudicium eſſet tertiæ perſonæ, & quatenùs eſt juramento firmata, ſecundùm primam Decalogi partem debita eſt, in quâ, ut docent Theologi, nec ipſe Deus unquàm diſpenſavit: Ergò nullam habet Eccleſia neque directam neque indirectam Principes ab Imperiis dejiciendi poteſtatem, ne quidem juxta illam frigidę conſolationis cautionem, ut habitudinem & quaſi characterem retineant dejecti, qui eos, poſtquàm pœnitentiam egerint, legittimæ imperiorum poſſeſſioni reſtituere poſſit, quos diù certè, anteàquàm adepturi ſint, petituros eſſe a peccatis, abſolutionem, & in Imperiis reſtitutionem indubium eſt, Sed, ut ſunt ipſius *Gregorii* 13. verba in addit. ad c. nos ſi incompetenter, cauſ. 2. quęſt. 7. *Sicut Ozias leprâ percuſſus eſt, quia Sacerdotum officia uſurpare voluit, ſic Sacerdotibus & Prophetis Regum uſurpare officia non licuit, Nathan Propheta, cùm Regem redarguit, ſuum exequutus eſt officium, in quo erat Rege ſuperior, non uſurpavit Regis officium in quo erat Rege inferior, monuit eum, ut per pænitentiam peccata ſua expiaret, non tulit in eum ſententiam, in quâ tanquàm Adulter & Homicida morti addiceretur.* At a *Samuele*, dicet quis, *Saul* fuit Regno privatus, quod *Davidi* poſteà ab eo datum, Idem *Samuel* Regem *Agag*, in fruſta decerpſit, *Abias* unxit Regem *Ieroboamum* ſupra *Iſraelem*, contra *Robohamum*, eius nativum Principem,

Elias

Wemyss, Sir J.

Elias tranſtulit regnum *Syriæ* in *Aſahelem*, & Regnum *Iſraelis* in *Iehu*, dejecto Rege *Achahabo*? Primò falſum eſt Regno privatum fuiſſe *Saulum*, nam, quamdiù vixit, Regnum poſſedit, annunciante ei *Samuele* ademptum non uſum fructum & poſſeſſionem, ſed tranſmiſſibile in hæredes dominium, quarè deſignatus ſucceſſor *David* noluit *Saulo* tanquàm exauctorato vim inferre, ut potè quem nihilominùs dominum ſuum, Unctumque JEHOVæ agnoſceret. 1. Samuel. 24. 7. Conſequenter multò minùs licet, regem, contrà quem nulla proceſſit Dei ſententia, tametſi improbum, jure Regio privare, habentem, ut *Saul* habuit, ſi non innocentiam vitæ, tamèn ſanctitatem unctionis, quam in malis quoque hominibus ſanctam eſſe ait *Auguſtinus*, contr. litt. *Petilian.* lib. 2 cap. 22. c. dominus cauſ. 1. quæſt. 1. Deindè *Saulo* denunciavit Dei nomine *Samuel* Regni ademptionem, ac *Davidi* ſucceſſionis jus, non illi Regnum ademit, aut huic dedit *Samuel*, ſed Deus, quem ait *Samuel* ſcidiſſe a *Saulo* Regnum *Iſrael*, & illud tradidiſſe proximo meliori eo. 1. Samuel. 15. 28. Falſum quoque eſt, tranſtuliſſe *Eliam* Regnum *Syriæ* in *Aſahelem*, & Regnum *Iſrael* in *Iehu*, quoniam juſſus tantùm fuit *Elias* inungere *Aſahelem* in Regem *Syriæ*, & *Iehu* in Regem *Iſrael*. 1. Reg. 19. 15. & 16. Unctione autem Prophetarum, non conſtituebantur, ſed a Deo deſignati conſtitutique ſignificabantur Reges, erat enìm cæremonia divinæ non humanę donationis index, quâ vel ad ſpem Regnorum erecti, vel ad liberè Regendum authoritatis declarationem nacti ſunt, qui ungerentur; Propheta ideò *Ahias* veſtimentum lacerans *Ieroboamo* dixit, *Accipe tibi decem fragmenta, nam ſic ait Iehova Deus Iſrael, Ecce ego laceraturus ſum Regnum hoc e manu Salomonis, & daturus*

tibi decem tribus. 1. Reg. 11. 30 31. Quibus ex verbis conſtat Dei ſolius eſſe Regna transferre, non Prophetarum; Et ſi factis aliquandò non minùs quam verbis uſi ſint Prophetæ, quod Prophetæ aliqui, extraordinario Dei mandato, & miraculoſo more fecerunt, generali & ordinario Prophetarum, nedùm Sacerdotū aut Paſtorum muneri attribuere a ratione abhòrret: Concludamus eſſe Paſtorum Eccleſię, Principes in temporalium uſu dirigere, ſed non ademptione temporalium abutentes corrigere; Temporales actiones, ſeu in temporalibus Officium præcipere, non de temporalibus rebus aut patrimoniis diſponere; In foro interiori omnibus voluntatem divinam ſpritualiter indicare, non in foro exteriori divinę voluntatis tranſgreſſores temporaliter judicare; Quamobrem valeant ſuppoſititiæ illæ *Clementis, Anacleti, Evariſti, Eleutherij, Sixti, Teleſphori, Higini, Pii, Aniceti, Soteris, & Victoris,* Decretales Epiſtolæ, qui ſuper verbis Evangelicis Tyrannidem Pontificiam abſurdè fundant.

Regem a judicio & animad-verſione Populi, Immunem eſſe.

Cap. III. & vltimum.

VT pateat nullum eſſe populo ſupra Principem Jus, Principatus ſeu Imperii obtinendi modos ſigillatìm conſiderabimus, putà Naturam, victoriam, Dei vocem, nativitatem, & Principis aut populi deſignationem, quos malè appellat Titulos Cardinalis *Bellarm.* de tranſlat. Imper. Rom. lib. 1. cap. 7. Quoniam unicus eſt Imperii acquirendi poſſidendique titulus, Divina ſcz. donatio, Imperium donante

Wemyss, Sir J.

nante Deo ſolo, vel per vocem ſuam, vel mediante hominum Miniſterio, & naturę, belli, ſucceſſionis & electionis Jura, præparatoria ſunt, non diſpoſitoria, ut ità loquamur Jura; Quod ad Pontificis Romani decretum. non agnoſcimus, modum, nedùm Titulum illud eſſe, acquirendi Imperii; Damus, poſſe populum liberum electionis jus habentem, Pontificem Romanum conſulere, ſed non, quis eligendus ſit, decernendi jus habet Pontifex, niſi a Deo cōſtitutus ſit Rerumpp. caput ac terræ Dominus, illiuſque in regimine vicarii ſint principes: Qui a Deo jure naturæ Imperium habuerunt Primi Parentes, illud nullo nec animi nec corporis vitio amiſiſſe aut amittere eos potuiſſe credendum eſt, nulla enim genitis cauſa eſſe potuit generis authores non honorandi, & nemo tam imprudens eſt, ut potuiſſe *Adamum* a natis imperio dejici, aut aliter puniri dicat: Indè, volunt nonnulli, eſſe, quòd *Caini* occiſio tàm ſeverè a Deo inhibita fuerit; Quibus bello dedit Imperium Deus, nec iis illud adimere poſſunt debellati, quos Deus & belli lex debellantibus ſubiiciunt, neque enìm magìs iniquum eſt, univerſum aliquem populum, quàm ſingularem hominem in ſervitutem redigi; Et, tàm in Rebuspp. quàm aliis rebus, eſſe præſcriptionem opportet, quæ namque eſſet confuſio, ſi ad ſua reducendum eſſet principia Imperium quodque? Quandoquidèm vix ullum in vniverſo Terrarum Orbe hodiè reperiatur Regnum, cuius non ſit ortus a bello, & juſtum id fuerit an iniuſtum, rebus tranquillatis, imperioque ſemel conſtabilito ac firmato inquirere, non eſt juſtum, & periculoſę aleę plenum, Non tranſit, ut ait quidam, ad hæredes, ſcelus a primis raptoribus patratum, Ac dubitandum non eſt, ità diſponente Deo in humanis, Regnorum jus ut plu-

rimùm in facto conſiſtere, ut, pacificè & cum populi favore regnantium legitima nunc ſit poteſtas, quorum violentus olìm fuerat in regna ingreſſus; Servis autem per ſe jugum ſervitutis excutere, dominoſque fugere, aut in eos inſurgere nefas eſſe docuit Deus, nolens populum ſuum licet duriſſimâ in *Egypto* ſervitute oppreſſum, & Rege *Pharaone* fortiorem, Exod. 1. 9. per *Moſem* Prophetam liberari, antè petitam a *Pharaone* eorum dimiſſionem, Quod ſi victores aliquandò contingat, victoriâ clementer utentes, de jure ſuo remittere, & Regio contentos Imperio, herile invictos Imperium non inſtituere, Infidi ingratique hi erunt, ſi non ſemper illis ſe ſubiiciant, qui quas vellent imponere leges potuerant & veri-ſimile eſt non concedi ut plurimùm a victoribus, imperium etiam liberum ſeu regium, non ſervile ſeu herile inſtituentibus, quicquid ullâ ratione ipſorum in imperando authoritati derogare poſſit, Si qui, admiſſis conditionibus, ſibi ſuæque poteſtati minùs conſulant, imperantium eâ in re voluntati, non Imperii, quod habere poſſint, naturæ, id imputetur: Quibus immediatâ vocatione dedit Deus Imperium, quem honoris authorem, eundem non alium habuiſſe eos pœnarum exactorem fatentur qui ex Monarchomachis magìs ingenui ſunt, nam a Deo ſolo conſtitutum (quem properteà ab invito etiam populo recipi oporteret) poſſe a populo deſtitui, vel ullatenùs cohiberi abſurdum eſt dicere, quam ob cauſam *Moſes, Ioſua, Saul, David* reliquique reges *Iſraelitici*, qui a Deo electi Deuter. 17. 15. non potuerunt a Populo puniri, quicquid haberent poteſtatis a Deo ſolo habentes, ad quem facti clamores, ſola fuerunt populi a malis Regibus oppreſſi munimenta. 1. Samuel. 8. 18. Nam ut ait *Nazianzenus*, lachrymæ

Chriſtianorum

Wemyss, Sir J.

Chriſtianorum ſunt ſolum contrà perſecutores remedium; Quòd autem Reges *Iſraelitici*, a Deo electi & a populo conſtituti in Scripturâ Sacrâ dicantur, nihil aliud ſignificat, quam fuiſſe Reges a populo Regibus ut divinitùs deſignatis hominii fidem dante ſolemniter receptos, Quis enim Dei electionem, qui ſupremus cœli terræque Dominus, cuiuſque miranda eſt providentia, infimæ in terrâ plebis & inſciæ examen & approbationem deſiderare dixerit? Atque sìc ad Deum ſpectabat ante regni hæreditarii conſtitutionē Principis populi ſui electio, ut ne *Moſi* quidem permiſſum fuerit ſucceſſorem eligere ſeu conſtituere Numer. 27. Undè *Origenes*, *Si*, ait, *tantùs, ac talis Moſes non permittitur judicio ſuo in eligendo Principe populi & conſtituendo ſucceſſore, ſed ei dicit* DEUS, *aſſume ad te ipſum Ioſua filium Nun hominem qui habet ſpiritum Dei* &c. *Quis erit, qui audeat vel ex plebe, quæ ſæpè clamoribus ad gratiam aut ad pretium excitatis moveri ſolet, vel ex ipſis etiam Sacerdotibus, quis erit qui ſe idoneum ad hoc judicet? niſi ſi cui oranti & petenti a Domino ſicut Moſi reveletur.* c. ſi ergo. cauſ. 8. quæſt. 1. Quod notamus contrà Pontificis uſurpationem, iniuſtè a ſe depoſiti Regis Regnum cui viſum ipſi fuerit dandi jus ſibi arrogantis, qui, ut acutè diſſerit REX noſter, ſi peregrinum ſurroget, inſignem filio infert iniuriam, ſi filium, deteſtandam filii erga patrem approbat ingratitudinem, per quem Regno naſcitur, eundem Regno deturbantis, aut a reſtitutione ad Regnum arcentis: Quos per hæreditariam ſucceſſionem imperatores facit Deus, ſi in iis ſuccedant imperiis quæ primò imperantibus, aut naturâ, aut victoriâ, aut ſuâ voce dedit Deus, In eodem, quo primò imperantes, ſtatu cùm ſint, ab omni poteſtate adverſante & evertente

pariter ac illi fuerunt, immunes ſunt; Ac quandoquidem eiuſmodi Imperiorum Lex eſt quaſi divinitùs data, ut in hęredes tanſeant, in iis non a populo creantur, ſed naſcentes ſuſcipiuntur Reges: Idcircò neminem animi vitia, corporiſvè infirmitates a jure Regni ſucceſſivi adipiſcendo arcere, ut nec eo ſemel potitum privare poſſunt; Quod *Salomon*, non *Adoniah*, licet illo maior hic natu, ac hæres legittimus fuerit, in *Davidis* patris ſolio ſederit; Factum id fuit extraordinariè, non populi, ſed *Davidis*, Regis, & Dei voluntatem propheticè intelligentis authoritate, ordinario ſucceſionis juri quod ſine ullo erat perſonæ delectu nihil derogans; Ut nihil indè colligatur ad ſtabiliendam eorum opinionem, qui monſtrare volentes populi in Regem jus, aiunt Regnum *Iudæ* ſtirpi quidem hęreditarium, perſonæ verò electivum fuiſſe; Et certè, cùm ſemper aliquem e ſtirpe *Davidis* Regem eſſe oportuerit, non deſignante populo, ſi ex eâ plures ſupereſſent, penes ſtirpem illam, non populum permanſura fuit ſumma poteſtas, & ſi non niſi unus foret ſuperſtes, neque tunc ulla erant futuræ populi in creando Rege partes, non habente locum electione, ubi non ſunt quorum unus alii præferri poſſit:

Reſtat dubium, de iis, qui in Regnis hęreditariis, (quorum origo ab electione fuit populi, aut Principis donatione) ſuccedunt, deque iis, qui in Regnis Electivis, decedentibus aut depoſitis Regibus a populo eliguntur, quòd videatur poſſe eos in ordinem cogere populus, Princepsvè donans, ut pote cui omnem eorum poteſtatem acceptam referri oportet; Nos dubium hoc (cuius ſolutione poſſent plurimæ inſumi paginę) unicâ poteſtatis diſtinctione explicare nitemur; Ut igitur verbo dicamus, Si Princeps, aut populus aliquis

Wemyss, Sir J.

quis, certis tantùm conditionibus & κατά τι, Principi poteſtatem delegavit, manente sìc penes Principem populumvè donantem imperii ſummâ, In Principem tanquam Magiſtratum, ſuumque tantummodò Legatum ſeu Vicarium, aut procuratorem animadvertere poteſt; Si poteſtatem ἁπλῶς nullâque adhibitâ pactione dereliquit, quemadmodum in primâ apud nos SCOTOS Monarchiæ inſtitutione, *Ferguſio*, poſteriſque eius Regnum jure-jurando confirmarunt SCOTI ut ait *Buchananus*, a quo, licet viro alioqui doctiſſimo, tamen abſque ullâ ratione, Monarcharum hoſte acerrimo, nulla fit conditionum mentio quibus Regnum *Ferguſio* populus detulerit, Neque enim Reges ſubſequentes, ſi qui ex iis in conditiones Monarchicam deſtruentes poteſtatem conſenſerint, legittimam in ſuis poſteris poteſtatem, primævæ Regni inſtitutiones virtute Regnum inituris, diminuere potuiſſe opinamur. Quod a ſe populus abdicavit, jus in Principem non habet; Nam commiſſam quidèm poteſtatem revocare poteſt committens, demiſſam recipienti adimere nequit demittens, & commiſſa poteſtas committentis eſt, præſente committente evaneſcens, demittentis non ampliùs eſt demiſſa, in eo cui a Deo data eſt reſidens, Ideòque in demittentem demiſſa, non in committentem commiſſa exerceri poteſt; Dicimus autem Reges propriè dicendos non eſſe, Principes delegatam modò ac commiſſam recipientes poteſtatem, quę, ut aliena iis communicatur, non ut ſua datur, Cui namque mandata eſt juriſdictio, non ſuâ ſed mandantis fungitur vice. l. more maiorum. ff. de juriſdict. cuius ideò vicem ſi non ritè ſuppleat mandatarius mandatâ nudatus juriſdictione, vt privatus reprimi poteſt; Sed verè & propriè Reges ſunt, quorum non a populo ſed

 immedi-

immediatè a Deo eſt poteſtas, vt nec propriè a populo, ſed a Deo eſſe poteſt Regia poteſtas, quia ſolius Dei proprium eſt Regimen publicum, Iſque ſolus creaturæ ſuæ Rector, nec poteſt populus, ſummam in ſeipſum poteſtatem non habens, (neque enim quiſquam ſummam habet in ſe poteſtatem) ſummam Regi conferre poteſtatem, ſed in quem conſentit populus, ei poteſtatem ſummam tradit Deus, Undè tritum illud inter *Græcos*, ἐκ δὲ διος βασιλῆες, & *Tertulliani* in Apologet. cap. 30. illud, *Indè poteſtas Imperatori Unde & Spiritus, & a Deo ſecundus eſt Imperator*. Proindè non aliæ, quam quæ in Pontificis creatione Cardinalibus tribuuntur, in Regis conſtitutione populo tribuendæ ſunt partes, vt ſcz. perſonam deſignet populus, cui poteſtatem conferat Deus, Regalem non minùs quàm Sacerdotalem dans poteſtatem; Si dicat quis vocari ab Apoſtolo *Petro* Regis poteſtatem ἀνθρωπίνην κτίσιν. 1. petr 2. 13. Humanam appellari dicimus, non quia ab hominibus, ſed quia in & inter homines conſtituta eſt, cui ideò, propter dominum, illius ſcz. authorem ſubiici præcepit ibidem Apoſtolus; Quod ſi Deus (qui populo ſecundum naturalem inſtinctum regimen idq; Monarchicum cogitanti, & in preficiendum unanimiter conſentienti, Regem præficit, nam populi ſubmiſſionem concomitatur Dei commiſſio, ac per intermediam illam populi electionem, vt per ſignum, innoteſcit immediata Dei, authoritatem electo tradentis conſtitutio) Si, inquam, Deus ſolus Regem conſtituat, & ab eo directè emanet in Perſonam poteſtas; quū, vt eſt Regula, Ejuſdem ſit deſtituere cujus eſt conſtituere, Solus Deus conſtitutum a ſe Regem deſtituere ſeu deponere poteſt, quem in ſolio collocat Job. 36. 11. Illius balteum diſſolvens. Job. 12. 18. Quòd & innuere

Wemyss, Sir J.

nuere videtur in Epiſtolâ ſuâ *Ieremias* quam ad abducendos in *Babyloniam* Captivos miſit, Deos *Babylonios* ſeu Idola non eſſe Deos nec timendos, ſpecialiter hinc probans, Quòd Regem neq; conſtituere poſſint neque tollere. Baruc. 6. 33. Regem non inſtituant regionis 52. Regi hoſtibuſque minimè reſiſtant, 55. & neque Regibus maledicturi ſint neque benedicturi, 65, Cuius argumenti Emphatica in hoc poſita eſt vis, quod Idolis illis nullum Dei opus ſeu operatio inſit, cuiuſmodi eſt Regis inſtitutio aut deſtitutio, 50. 51. 52 Verùm & hic obſervandum eſt, non niſi cautè ab eo deficiendum eſſe Principe, quem, conditiones eas ſub quibus eſt electus, violaſſe populus prætendit, ne fortè haùd ſuppetentibus populo ſufficientibus ad reluctantem Principem reprimendum viribus, nec prævi‑ſo, qui eidem cedenti tempeſtivè ſurrogetur, viro idoneo, Imperium ſemel diſſolutum non facilè & citò conſtitui valeat, Nam τῃ αναρχιᾳ minus eſt malum per fidi μοναρχια, ſeu, vt dicit *Chryſoſtomus*, *Preſtat Regem Tyrannum habere quam nullum*, & vt *Tacitus*, *Praſtat ſub malo eſſe Principe quam nullo*, & vt *Plutarchus*, *Pejus eſt iniuſto Imperio bellum civile*; Hùc accedit, quòd ſæpiùs falſæ prætexantur defectionis cauſæ, de quibus cognoſcere populum, rerum novarum ſemper cupidum, adeòque & actorem eſſe & Judicem, res eſt periculi plena, januam ſeditionibus aperiens, præterquàm quòd, Theologorum teſtimonio, vt inter virum & vxorem, ſic inter Regem & ſubditos firmiorem voluerit eſſe obligationem Deus, quàm ſunt vulgares illæ quæ in pactis conventis ex mutuo partium conſenſu initis naſcuntur, quandoquidèm quibus jus competit eligendi Regis, eo electo ſuis partibus defuncti ſint. *Tilen.* ad cap. 7. lib. 5. *Bellarm* de Roman. Pontif.

Atqui Inaugurari oportet Regem antequàm Regnum adminiſtret, & quandò inauguratur, ſpondere, ſubditos ſe juſtè judicaturum & defenſurum? Etiamſi daremus, quod minimè verum eſt, vniverſaliter obſervatum fuiſſe ſolemnem inaugurationis ritum, attamen eo non datur, ſed declaratur ſeu promulgatur Regia poteſtas, eſtq; ſolemnitas receptionis, non creationis Regum, qui ſæpè priùs quàm coronentur, quæ regii ſunt officii faciunt, quemadmodum antè impoſitum *Ioha* Diadema Regem eum vocavit, atq; ut a populo tanquam Rex haberetur, juſſit *Iehojada* 2. Reg. cap. 11. Et quotidiè videre eſt, Reges vocari & haberi nondùm coronatos; Ac ſuperveniens eſt, non eſſentialis cæremonia, quâ jam conſtitutus a Deo Rex ſolemniter a populo monetur & honoratur, Etenim & Rex *Saul* qui a Deo ipſo eligente poteſtatem accepit, ſolemniter a *Samuele* inauguratus & a populo receptus fuit, ut mirum ſit ex eâ regni ineundi cæremoniâ ad ſacroſanctam regii muneris majeſtatem promulgandam vſurpatâ ducere argumentum Monarchomachos ad probandam Præſulum, Procerum & Populi ſupra Reges eminentiam, Concedimus, exempli cauſâ, ex quo tempore facta eſt Romani Imperii occidentalis a *Græcis* ad *Francos* tranſlatio per *Carolum* Magnum, qui omnes ferè Imperii terras poſſedit, priuſquàm Pontificis, Procerum & populi approbatione Imperatoris nomen adeptus eſt, viſum ſemper fuiſſe, ad perfectam nominationem Imperatoris, neceſſarium, ut qui electus eſſet Solemniter a Pontifice coronaretur; Nihilominùs poteſtatem a Deo ex ſolâ electione, abſq; Pontificis coronatione electum habere Imperatorem, & Imperatores profeſſi, & Pōtifices plurimi ſunt confeſſi; Quod ad Regis, dùm coronatur, juramentum, (ubi in uſu eſt,

neque

Wemyss, Sir J.

neque enim veteres, ne diffidentes viderentur, id exigendum cenſuerunt a ſuis Regibus) id mihi videtur arguere populo Regẽ eſſe ſuperiorem, quòd, ut, ſuperiori, qui inferiorem delinquentem corrigere poteſt, neceſſe non eſt juramentum pręſtet inferior, ità, non ſuſcipiat inferior, ſuperioris patrocinium, quod populo a Rege jurante promittitur, eſt enim Regis juramentum non fidelitatis, ſed protectionis, non homagii aut ſubiectionis ſed defenſionis & devotionis; Inſuper ſi alicui præſtitum juramentum præſtantem illi ſubiiceret, Deo jurante ſuperiores fuiſſent *Abrahamus* & *David*, item marito, uxor quæque, quæ ſe nihilominùs mariti, licet contrà officium ſanctè in nuptiis promiſſum peccantis, jugo liberare non poteſt; Tandèm, ſuperveniunt inter Regem & populum pacta, non ex his eſſentialiter oritur imperium regium, non, ut a populo fiat, ſed a Deo factus Rex, cum ſuo populo paciſcitur, populo divinitùs Principem devinciente priùs Deo per immediatam Imperii collationem, quàm accedat humana illa, quæ ex ſpontaneâ fit ſponſione, Obligatio, de cuius quoque violatione, non populi etiam-ſi ſtipulantis, ſed Dei judicis eſt cognoſcere, &, illius violatorem, quandò & quomodò viſum fuerit punire, nam de regibus inſtituto judicio populum cognoſcere eſſet Monarchiam in Democratiam convertere, & ſine cognitione in Reges animadvertere, eſſet Reges peiori in conditione quàm privatum quemlibet collocare: At Rex, propter populum, ut hujus bonum curet, inſtitutus? Sìc Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas & Paſtores, ac Doctores dedit Chriſtus ad inſtaurationem ſanctorum, in opus minſterii Epheſ. 4. 11. & 12. Sìc Angeli omnes adminiſtratorii ſunt ſpiritus in miniſterium miſſi prop-

ter eos, qui hæreditatem capient ſalutis Hebr. 1. 14. Imò Chriſtum ipſum factum ex muliere, factum ſub lege miſit Deus, ut eos, qui ſub lege eſſent, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Gallat. 4. 4. & 5. Filius Dei æternus homo propter Eccleſiam factus eſt, ut ejus eſſet Paſtor, Apoſtolus, & Pontifex, ut patet ex Epiſtolis & Evangeliis; Nemo autèm, arbitramur, Eccleſiæ ovibus. Apoſtolos & Paſtores, aut Angelos, nedùm, ἀρχιποιμένα Chriſtum ſubiiciet; Similiter ſuprà Reges, quos populo ſuo gubernatores, ac Eccleſiæ nutritores dat Deus, populũ & Eccleſiam evehere ęquum non eſt, etiamſi propter populum (qui, ut Regi ſerviat, natus eſt ſicut patri filius) creatũ eſſe Regem fateremur, quia ſicut Apoſtoli, imò Chriſtus ipſe, sìc principes facti in bonum quidem populi, ſed Dei miniſtri, cuius gloria eſt ulterior illius miniſterii finis, quam populi ſalus: Sed inſtabit quis, populum regni, & Regem duos eſſe Correos promittendi & debendi ut Dei Lex in regno obſervetur, quorum quilibet in ſolidũ tenetur: Non ſunt Rex & populus, duo Rei promittendi vel Conſpõſores, quorum alter, alterius obligationem ſuo facto diſſolvat (quæ natura eſt obligationum, quæ in perſonis reorum promittendi conſiſtunt § ex huiuſmodi. Inſtit. tit. de duob. reis l. 3. & § vul. ff. eod.) Sed, ut docet D. *Barclaius*, lib. 4. contra Monarchomachos, ſi prædictam de legis divinę obſervatione ſtipulationem alicubi factam eſſe contingat, diverſi ſunt, diverſorum factorum debitores, quorum, ſuam quiſque pœnam luat, nec alius alium liberare poſſit, Equidem tenetur quilibet e populo, non minùs quàm Rex, prout Status, ad quem vocatum eſſe eum contigit, natura patitur, Legis divinæ obſervationem procurare; Legis verò divinæ vindicem eſſe vel univerſum populum, vel populi primores, qui,

ut

Wemyss, Sir J.

ut *Ephori*, etiam Regem legis tranſgreſſorem mulctandi aut mactandi poteſtatem habeant, Sacræ contrariatur Scripturę, Regem non populum, a Deo conſtitutum legis vindicem perſpicuè docenti, ut debeat quidèm e populo quiſque, Dei legem, prout poteſt, ipſe obſervare, ſuoque conſilio, & exemplo ad eam obſervandam alios ſtimulare, Regium verò Imperium in procurandâ ejus obſervatione, non magis quam paſtorale præconium, nec ſigillatìm nec univerſim populus uſurpare poſſit. Ad clariorem huius veritatis elucidationem, Quædam Pontificum Ipſorum teſtimonia dictis ſubnectere libet: *Legitur* (inquit *Gregorius*, ad c. plerumque boni cauſ. 2. quæſt. 7.) *In lib. Reg. Quòd cum David fugeret a facie Saulis latuit in ſpeluncâ, in Quam cum Saul divertiſſet ad purgandum ventrem, David præcidit oram chlamydis ejus, Quod ſe feciſſe poſteà graviter doluit, & vehementer pœnituit. Saul a Domino erat reprobatus, & ex invidia Davidem perſequebatur, ut eum morti traderet, David erat vir mitis & humilis, Sauli a Domino ſubſtitutus, per Samuelem unctus in Regem, Sed tamen Quia præcidit oram chlamydis Saulis, graviter flevit, cùm a Saule ſolá adminiſtratione unctionis ſepararetur.* Unde datur intelligi (inquit *Gregorius*,) *quod ſubditi quamvis relligioſi ſint, Prælatos Criminoſos non accuſare, multò minus judicare poſſint.* Et certè ſi in Regno *Iſraelitico* ullus tanquam Regis tutor, ac obſervator Regem potuiſſet in ordinem cogere, ſine dubio *David* is fuiſſet, deſignatus a Deo Rex, ſeu futurus regni ſucceſſor; *Et, Regis* (ait Ivo Epiſcopus Epiſt 171.) *Si poteſtate abutantur, non ſunt exaſperandi, ſed ubi Sacerdotum admonitionibus non acquieverint, divino judicio reſervandi*, Neque enim de titulo, & jure Tyrannis ſermo eſt, quibus poſſe reſiſti modò

ordine fiat, publicâque, niſi urgeat neceſſitas, authoritate ſine quâ arma ſumere nemini licet, tenendum eſt, cùm Reges nondum ſint, neĉ regna pacificè poſſideant ſaltem iis bella moveant ligittimi Reges, ſed de exercitio & facto ut vocantur Tyrannis, Quibus, cùm titulo legittimi Reges ſint, honor, obedientia & vota debentur, Quia *Summum* (ut ait *Tacitus* noſque jam ſæpè repetivimus) *Rerum judicium iis Dii dederunt ſubditis, obſequii gloria relicta* a quibus præſtandum eſt Regibus officium, non quia juſti ſed quia legittimi ſunt Reges, Quorum luxum, avaritiam, & vitia omnia, quo modo ſterilitatem aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ut ait idem *Tacitus*, tolerare debent ſubditi; Et *Gregorius Papa* ad *Francorum* Regem *Chilpericum* ait. *Si Quis de nobis, O Rex, juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, a te corrigi poteſt, ſi verò tu exceſſeris, Quis te corripiet? Loquimur tibi, ſed ſi volueris, audis, ſi autem nolueris, Quis te condemnabit niſi is Qui ſe pronunciat eſſe juſtitiam*, Ut quod parùm fœlici conjugio implicitis dici ſolet, *Habeas ut nactus*, etiàm hìc ſit uſurpandum Tilen. ad cap. 7. lib. 5. *Bellarm.* Roman. pontif. ſatiſque ſit homini Chriſtiano, quòd nullâ fide aut fraude ad impios cultus pertrahi poſſit invitus: Tandem, quia, utrum Rex, propoſitum habens, Regnum diſperdendi, aut alienæ ditioni mancipandi (qui duo caſus præter ſpontalem ejurationem ſoli ſunt, quibus ſe principatu exuere videtur) ſe populo inferiorem, eoque facto, liberum & ſuę poteſtatis populum, ut eſt in interregno, efficiat, nunc aliis dijudicandum relinquere volumus, Ut huic de Regis Hyperochâ libro, finem Imponamus, Solenniter cum patribus Concilii 6. *Toletani*, c. 18. Omnes quotquot ſunt Regis ſubditi, *Obteſtemur coram Deo & omni ordine Angelorum, coram omni*

Eccleſia

Eccleſia Catholica, & Chriſtianorum cætu, ut nemo intendat in interitum Regis, nemo vitam Principis attrectet, nemò eum regni gubernaculis privet, nemo Tyrannica præſumptione apicem regni ſibi uſurpet, nemo quolibet machinamento in eius adverſitate, ſibi coniuratorum manum aſſociet, Et Deum, precor Ego ex intimis cordis penetralibus, Qui omnia condidit & gubernat, in nomine Filii Sapientiæ increatæ, per quam Reges regnant, illius ſcilicet λογου, qui in Principio, apud Deum, & Deus erat, ab æterno diſtincta a patre (cui, ineffabili coniungebatur neceſſitudine) perſona, & patri coeſſentialis, Deum (inquam) patrem rogo, propter filium, Qui ὑποστατικῶς a patre alius, ſed οὐσιωδῶς cum patre idem, non aliud eſt, Quique, ut mediator eſſet, homo factus, duas habet completas in unâ perſonâ naturas; Ut Spiritu Sancto, virtute Dei æternâ a patre & filio procedente, a patris putà perſonâ primariò, & a perſonâ filii ut cui Pater inſpirativam communicarit facultatem, a quo Spiritu ut Deo profluit omne donorum genus, velit Regum omnium, noſtri imprimis, piiſſimi, prudentiſſimi doctiſſimique Regis, proliſque ipſius corda ità regere, atque eorundem Imperia ità proſperare, ut hinc, in finem uſq; mundi juſtè in terrâ regnantes, ab extremo judicio, in ęternum glorioſè cum reliquis Sanctis in cœlo triumphent.

Μόνῳ σοφῷ Θεῷ σωτηρι ἡμῶν, δοξα καὶ
μεγαλόσυνη, κρατος, καὶ ἐξουσια, καὶ νῦν,
καὶ εἰς παντας τους αἰῶνας: Αμην.

ERRATA CORRIGENDA.

Omiſſa & Commiſſa.

Libro Primo, Pag. 6. Lin. 4. lege *ſolenni*. p. 8. l. 18. l. *accidiſſe*. p. 16. l. 2. & 3. l. 6. 7. 8. p. 18. l. 31. l. *vetiſſima*. p. 19. l. 11. l. *legiſlatoris*. p. 20. l. 7. l. *patrimonia*. p. 21. l. 6. l. *neglectum*. p. 23. l. 19. l. *ſuffragia*. pag. 25. l. 19. l. *quinque* pro *quinq*, p. 29. l. 18. l. *peculiariter*. p. 35. l. 16. l. *qua*. p. 43. l. 25. l. *circumſtantiis*. p. 51. l. 13. l. *futura*. p. 52. l. 31. l. *nam vt*. p. 54. l. 32. l. *conſue*. p. 60. 7. l. *conciliis* p. 62. l. 23. l. *principibus*. p. 69. l. 30. l. *conciliis*. pag. 79. l. 2. l. *ex qua*. & l. 28. lege ‡ pag. 85. l. 33. l. *eccleſiæ*. pag. 88. l. 25. lege. *. & l. 32. lege *. pag. 95. l. 5. l. *hallucinatione*. pag. 113. l. 32. l. *indicio*. pag. 127. l. 28. l. *importunus*. 134. l. 12. l. *diſtinxiſſe*. pag. 136. l. 11. l. *procuraverit*. pro *provocaverit*.

* πρωτεῖον.
* χυσωσις.
* κεχριμένα.

